De

juris regalis metallorum origine ac progressu

Dissertatio juridica

quam

consentiente illustri Jurisconsultorum Tubingensium ordine

ad

gradum doctoris in utroque jure rite obtinendum

mense Augusto MDCCCLXXI

proposuit

auctor

Winandus Virnich

Marcoduranus.

Tubingæ,

Ex Officina H. Laupp.

MDCCCLXXI.

De juris regalis metallorum origine ac progressu.
Dissertatio historico-juridica.

Praefatio. Dissertationem de origine ac progressu juris regalis metallorum lectori benevolo traditurus, paucis verbis eam praefari, non inutile fore puto.

Jam anno 1865 hoc opusculum scripseram. Verum ex illo tempore juris metallici studia novissimi Borussorum codicis juris metallorum promulgatione aucta quasi et redintegrata sunt. Jam Berolini, ubi illo tempore juris civilis studia cum metallorum studiis consociabam, ad summos in utroque jure rite capessendos honores fieri, ut hoc opusculum in lucem prodiret, volueram, quum morte patris subito ab his studiis avocatus sum. Ex quo tempore usque ad hunc diem materia juris regalis metallorum a compluribus auctoribus, in quibus Achenbach, Commer, Grüter, alios, laudo, denuo egregie tractata est. Praeterea non solum codex novissimus juris metallici Borussorum in novis regni Borussii provinciis legis auctoritatem obtinuit, sed in Saxonia etiam, in Bavaria, in Brunswigia et in aliis Germaniae terris novae metallorum leges, codici Borussorum, plus minusve, similes atque consentaneae, promulgatae sunt. Quibus ex causis opusculum, quod conscripseram, quodam modo jam obsolevit. Tunc quidem mihi proposueram, ut quid et de juris regalis metallorum apud Germanos vi ac natura, et de ejus origine historiaque homines docti hucusque censuerint, monumentis veterum collectis, judiciis jurisconsultorum dilucidatis, breviter exponerem. Jam vero, quum materiae copiam in dies magis magisque augeri intelligerem simulque vererer, ne nimium temporis spatium reliquis studiis academicis hoc incepto demerem, derelicto latiore campo ad angulum refugere coactus eram. Atqui, quum ad vim et naturam juris regalis metallorum accurratius perspiciendam et perscrutandam historia illius instituti, a prima origine narranda, maximi momenti sit, historicam illam opusculi mei partem, novis metallorum monumentis et legibus allatis et recentiorum scriptorum auctorumque judiciis perlustratis, etiam nunc typis mandari non superfluum esse puto [1]. Satis autem semper mihi conscius sum, multo accuratiore perscrutatione scientiaque ampliore ad historiam juris regalis metallorum scribendam atque perficiendam opus esse, quam ei fere inest, qui ab-

---

1) Observationes, quas commentationi nuper addidi, signo † notavi.

soluto triennio litterarum primitias proferre audet. Spero tamen hoc opusculum expedire aliquid posse ad vim naturamque juris regalis metallorum illustrandam, sicuti, frequentioribus etiam perscrutationibus historiam illius instituti ab omni obscuritate magis magisque liberari, equidem quam maxime cupio.

---

§. I. *Introductio* [1]). Haud ita multo ante de origine essentiaque juris regalis metallorum pervariae fuerunt hominum discrepantissimaeque sententiae. Ex quo tempore jura majestatis atque amplitudines, ad summum reipublicae imperium utique pertinentes, historia duce, diligenter a regalibus jurisconsulti distinxerant, fieri potuit, ut, illa sententiarum diversitate deleta, in unam pene eamdemque coirent. — Regalium natura et ad jus publicum et ad privatum spectat. In eo enim versantur regalia, ut respublica quaedam proprietatis jura ac

---

1) Ex permultis commentationibus, quas rem meam tangentes, afferre possum, laudo: Joh. Eisenhardt, liber singularis de regali metallifodinarum jure. Helmstädt 1681. — Horn, de regali metallifodinarum jure. Vitembergae 1703. — Staudacher, de regali mineralium jure. Giessen 1705. — Bartel, de jure fodiendi metalla. Herbipoli 1731. — Vitriarii, Institutionum juris publici libri, novis notis a J. F. Pfeffinger illustrati. Gothae 1739. — Jung, de jure salinarum, tum veteri, tum hodierno liber singularis. Göttingae 1743. — Jargow, Einleitung zu der Lehre von den Regalien. Rostock 1757. — Th. v. Wagner, Abhandlung über den Beweis der Regalität des teutschen Bergbaues. Bergmännisches Journal herausgegeben von A. W. Köhler und C. A. S. Hoffmann. Bd. 2. Freiberg 1788. — Himmelstoss, Versuch einer Entwickelung der Regalität in Deutschland. Landshut 1804. — Hüllmann, Geschichte des Ursprungs der Regalien in Deutschland. Frankfurt a/O. 1806. — Weiske, Ueber das Bergrecht. Rechtslexikon Bd. 1. Leipzig 1839. — Eichhorn, Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. Göttingen 1844. — Karsten, Ueber den Ursprung des Bergregals in Deutschland. Berlin 1844. — Weiske, Der Bergbau und das Bergregal. Eisleben 1845. — Kaltenborn, Doctrinae de regalium generalium natura ac divisione. Dissertatio. Halae 1845. — Swoboda, Der Staat, das Eigenthum, die Regalien, insbesondere die Bergwerkshoheit. Freiberg 1848. — Zachariä, Ueber Regalien überhaupt und das Salzregal in Deutschland insbesondere. Zeitschrift für deutsches Recht und deutsche Rechtswissenschaft herausgegeben von Beseler, Reyscher und Wilda. Bd. 13, S. 319—381. Tübingen 1852. — Böhlau, De regalium notione et de salinarum jure regali commentarii. Halae 1855. — Kraut, Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht. Göttingen 1856. — Achenbach, Bergregalität und Berghoheit in Preussen. Amtliche Zeitschrift für das Berg-, Hütten- und Salinenwesen in den preussischen Staaten Bd. 8, S. 73—81. Berlin 1860. — Strauch, Ueber Ursprung und Natur der Regalien. Erlangen 1865. — Wachler, der Bergbau des Regalinhabers. Zeitschrift für Bergrecht herausgegeben von Brassert und Achenbach. Bd. 6. S. 520—551. Bonn 1865 — Klostermann, das allgemeine Berggesetz für die preussischen Staaten vom 24. Juni 1865 nebst Einleitung und Kommentar. Berlin 1865. † 2. Aufl. 1868.

† ***Nuperrime*** hanc rem tractaverunt: Grüter, de regali metallorum jure dissertatio. Bonnae 1867. — Stündeck, de jure metallorum, quod vocant Bergwerkseigenthum. Dissertatio. Berolini 1868. — Commer, Exponitur natura ac vis dominii ex jure metallico adquisiti. Dissertatio. Berolini 1869. — Commer, Ueber die Entwickelung des Bergregals bis zum Jahre 1273 und die Sachsenspiegelstelle I, 35. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 10, S. 376—398. Bonn 1869. — Klostermann, Lehrbuch des preussischen Bergrechtes mit Berücksichtigung der übrigen deutschen Bergrechte. Berlin 1871. — Achenbach, das gemeine deutsche Bergrecht in Verbindung mit dem preussischen Bergrechte unter Berücksichtigung der Berggesetze Bayerns, Sachsens und Oestreichs. Bonn 1871.

libertates, ab arbitrario privatorum usu exempta, una cum amplitudinibus ad summum reipublicae imperium utique pertinentibus sibi ipsi vindicet, ita ut privatae personae haec jura proprietatis nonnisi ex imperii auctoritate possidere possint. Quod attinet ad jus regale metallorum, hoc ita definimus, ut sit potestas facultasque singularis, quam habet respublica certorum metallorum, quae intra fines ejus inveniantur, occupandorum, ita ut privatae personae jus metallorum effodiendorum nisi ex imperii auctoritate non habeant. Hoc tamen jus regale metallorum in Germania *libertate operis metallici* (Bergfreiheit, Freierklärung, Freizügigkeit des Bergbaues), illi juri contraria, valde minuitur. Constat autem haec libertas in eo, quod respublica, quicunque certis legis conditionibus satisfecerit, huic intra circuitum quemdam, lege dimensum, inventam quidem nec occupatam fodinam sine ulla superficiei fundi metallici ratione concedere debet. Quo facto respublica jure metallorum regali quaesitam facultatem metallorum exercendorum personae privatae cedit. Exinde haec persona privata per se sola, id est, reipublicae loco, jus et potestatem habet. Si autem persona privata fodinam concessam intra certum temporis spatium, lege praescriptum, non exercuerit, possessionem fodinae amittit, et abhinc illa fodina, denuo libera facta, a republica aliis personis, qui legis conditionibus satisfaciant, concedi potest.

Quum autem et Romanum et Germanicum pristinum jus ab hujusmodi institutis, quam maxime repugnantibus cum juribus domini fundi, abhorreat, primum videamus, quomodo hae institutiones juris regalis metallorum oriri potuerint.

Quod metallorum jus regale, et Romanorum juri et veterum Germanorum tam contrarium, ultimis temporibus aevi, quod vocant medium, exortum, locis corporis juris Romanorum civilis non recte intellectis nititur. Unde illa falsa opinio tunc temporis exorta est, qua totum solum regis esse et regem per se dominium supremum in territorio suo exercere putarent. Verum instituta *liberi operis metallici* (Freierklärung) longe antiquiora sunt et institutionibus juris regalis metallorum contraria, ita quidem, ut unusquisque, qui legibus satisfecerit, potestatem fodiendi metalla intra certum circuitum habeat. Quorum institutorum liberae exercitationis operis metallici origo est incerta. Sunt enim, qui putent, haec instituta una cum re metallica a fossoribus ex oriente profectis in Germaniam translata esse [1]) unde evenisse, ut antiquorum Germanorum juris sententia, moribus confirmata, dominum fundi etiam dominum metallorum in fundo suo versantium esse, labefactaretur.

1) Cfr. Karsten l. c. — Weiske l. c. p. 26 sq.

Sed, ut vim naturamque juris regalis metallorum indagare et, a quo initio id profectum sit, intelligere possimus, a primis temporibus metallorum jus regale persequamur.

Pars prima. De jure fodinarum apud veteres.

§. II. *De veterum re metallica* [1]). In civitatibus antiquae aetatis, et in Aegypto, et in Babylonia, et in Assyria, ubi omnia jura penes regem solum erant, etiam omnes fodinae a rege possidebantur. Metallorum enim et caminorum opus illis temporibus maxime cultum atque exercitum esse, scriptores narrant, et tam effrenata et insatiabilis erat metallorum aviditas apud veteres, ut haec auri et argenti magna cupido causa esset permultorum crudelissimorum bellorum. Inde quoque evenit, ut captivi, quum opus metallicum antiquarum gentium non per liberos homines, sed servos, exerceretur, ingensque eorum numerus requireretur, plerumque metallis exercendis adsignarentur. Apud solos Phoenices, qui mercatura et commeatu florebant, non solum publice, sed etiam privatim, opus metallicum exercitum esse constat. Fodinae enim, quas Phoenices ubique terrarum, praecipue autem in Hispania atque in insulis maris Aegaei, diligentissime peritissimeque colebant, non raro erant hominum privatorum et his locis primum metallicorum collegia societatesque ad metalla exercenda orta esse videntur. Quare vehementer doleo, quod ab auctoribus illud non traditur, qua ratione Phoenices opus metallicum exercuerint, quale eorum jus redemtorum metallicorum, quales leges, quales eorum ad rem metallicam pertinentes consuetudines fuerint. Non enim dubitandum est, quin permultae metallicae consuetudines, quae postea apud Graecos et Romanos valebant, apud Phoenices originem traxerint. Nam memoriae traditum est, Phoenices primos artem scientiamque rei metallicae in Europam attulisse, Cadmumque, Phoenicem, artem metallicam Graecos edocuisse atque in Pangaeo monte venas auri, argenti, cupri, investigasse [2]). Post deletam Phoenicum rempublicam Graeci, qui in eorum locum cesserunt, inventa metallica excolere et perpolire pergebant. Ut enim postea Romani, Hispania occupata, Carthaginiensium, qui a Phoenicibus orti erant, vestigiis in re metallica nixi sunt, sic etiam Graeci diligentissime opus metallicum, item Phoenicum usu edocti, exercebant, magnosque progressus in re metallica faciebant. Itaque videamus, quomodo Phoenices Graecorum et Romanorum in re metallica praeceptores fuerint, ut,

---

1) Cfr.: Reitemeyer, Geschichte des Bergbaues und Hüttenbetriebes bei den alten Völkern. Göttingen 1785. — Zippe, Geschichte der Metalle. Wien 1857. — Virnich, Ueber das Berg- und Hüttenwesen bei den alttestamentalischen Völkern. Zeitschrift Natur und Offenbarung. Bd. X. S. 256 ff. S. 365 ff. Münster 1864.

2) Cfr.: Plinii naturalis historia VII, 56.

quomodo sese apud Phoenices ipsos res metallica habuerit, conjectura perspicere possimus.

§. III. *De metallorum jure apud Graecos* [1]). Graecorum metallicorum consuetudines atque leges, et propter vetustatem, et propter earum in posteros auctoritatem, prae ceteris priscae antiquitatis judicari possunt gravissimae atque insignissimae. Exercebant enim Graeci metalla, et in terra continenti, et in insulis occidentalibus atque orientalibus, ubicunque eorum coloniae constitutae erant. Nam usu et exemplis Phoenicum edocti, Graeci antiquitus usque ad postrema tempora metallis secundum artis metallicae praecepta tam perite usi sunt, ut eorum metalla prae ceteris omnis antiquitatis florerent atque excellerent. Qua de causa valde dolendum est, quod complures antiqui auctores non jam exstant, qui egerunt de ratione conditioneque operis metallici Graeci. Qui si praesto essent, de statu atque natura rei metallicae, de libertatibus et juribus privatorum, qui metalla exercebant, et de eorum in rempublicam officiis, quae valebant in civitatibus Graecis, certissimam notitiam haberemus. Nunc quidem tantum de Attica re metallica certiores fimus, quae apud illos a saeculo quinto ante Christum natum coli coeperat. Clarissimi Böckhii studiis illud tribuendum est, quod rem metallicam Atticam non ignoramus. Quae quum ita sint, in re metallica Attica investiganda tantum usque ad Themistoclis aetatem regredi possumus, prioribus temporibus, quod attinet ad rem metallicam, summa caligine obtectis [2]).

Conditio rei metallicae apud Athenienses, qui libera reipublicae forma gaudebant, diversissima erat a conditione illius rei apud Aegyptios et apud populos Asiaticos, in quibus una principum libido valebat. Athenienses enim metalla privatis hominibus exercenda in perpetuum elocabant, sed ita, ut ipsa metalla reipublicae esse judicarentur, ii autem, quibus metalla publice erant tradita, quasi possessionis jus liberis hereditate relinquere possent, quem quidem morem emphyteusim quamdam vocare possis. Jam vero quaestio exoritur, *utrum Lauriotes fodinae in agro publico, an privato, sitae fuerint?* Illud autem incredibile non esse videtur, apud Atticos opus metallicum quodammodo fuisse regale, ita ut apud Graecos idem fere jus valeret, quod postea apud nostros majores valuit, unde metalla ipsa etiam apud Graecos reipublicae propria esse judicaban-

---

1) De hac re legas: Reitemeyer l. c. — praecipue autem clarissimi nostri Böckh opusculum, subtilissime accuratissimeque conscriptum: Ueber die Laurischen Silberbergwerke in Attika. Berlin 1814. in annalibus academiae regiae Borussicae 1814—1815. sectio historico-philosophica p. 85—140. — Cf. etiam: Böckh, Staatshaushalt der Athener. 2. Aufl. Berlin 1851.

2) Fontes uberrimi de rei metallicae apud Atticos conditione sunt: Xenophontis de reditu libellus et complures Demosthenis orationes, praecipue contra Midam habita. Confer omnino Boeckhii praestantissimum librum, supra nominatum.

tur. Hoc saltem sine dubitatione contendi potest, *inter Graecas metallorum institutiones et Germanicas quamdam congruentiam atque similitudinem esse.* Nam metallorum exercitatio apud Graecos semper libera erat, ita ut, quicunque ad possidendum aptus erat, metalla requirere, atque petere posset, ut fodina inventa, nec occupata, sibi a republica concederetur. Lege autem sancitum erat, ne metalla sine magistratus permissione requirerentur, et quicunque contra legem et sine permissionis libello metalla requirebat, poenis obligabatur. Vena metalli reperta, fodinarum praefectus publicus fundum metallicum investigatori metallorum syngrapha publica assignabat et ea quidem conditione, ut reipublicae pecunia quasi per emtionem quamdam atque annua pensio metallica, quae κανών appellabatur, solveretur. Si quis sic fodinae capax factus intra certum tempus pecuniam pro emtore non solverat, debitor publicus habebatur et in personam actione in jus vocabatur; fundus autem metallicus donatus, ita denuo liber et quodammodo res nullius facta, rursus ab aliis personis peti poterat. Fodina ita constituta, nomen emphyteuticarii in tabulis publicis inscribebatur. Quo facto emphyteuta jus quasi possessionis habebat et fodinam, a republica ei per emphyteusin datam, et hereditate relinquere, et locare vendereve poterat. Ut autem possessionis metallicae mutatio semper justa et publice comprobata esset, eam in tabulas publicas, in quibus nomina omnium possessorum a magistratibus inscripta erant, referri necesse erat. Annua pensio metallica, quam reipublicae solvi necesse erat, ex vicesima quarta parte metalli rudis reperti constabat, quae fodinarum pecuniae inter cives Athenienses quotannis distribuebantur. Jus quasi possessionis emphyteuta fodinae, si annuam pensionem metallicam non solvebat, aut si contra donationis conditiones atque contra leges constitutaque, ad rem metallicam pertinentia, quid agebat, quum his ex causis magistratus publicus eum in jus vocabat, amittere poterat. Si autem fodinae emphyteuta donationis conditiones et leges metallicas non neglexerat, fodinae quasi possessio non minus justa nec minus rata, quam quaevis alia ejus possessio erat. Pecunia pro emtione fodinae collatae aerario quidem publico ipsi, verum annua pensio metallica publicanis, qui, sive singuli, sive societates, a republica vectigalia locata habebant, reddebatur. Quae annuae metallicae pensiones a poletis sicuti cetera vectigalia vendebantur. Hae ipsae, nec minus aliae pecuniae pro emtione fodinarum, numerum non parvum tributorum Atheniensium continebant. Pecunia autem pro emtione fodinae ex uno talento constitisse videtur. Et singuli et societates, quarum societates nostrae aetatis nos memores faciunt, metalla exercebant. Praeterea erant, quae ad investigandas metallorum venas conjunctae florerent, donec, conatis prospere cedentibus, fructus percipere possent. Tunc fodinam a republica concessam, aut inter se distribuebant, aut, fodina

vendita, lucrum inter se dividebant. Complures etiam eandem fodinam pro partibus indivisis possidere poterant. Metallicorum numerum Athenis tam magnum, tam opulentum fuisse constat, ut proprius eorum ordo esset, quem cum rusticorum ordine Demosthenes comparat.

Metallorum opus Athenis non a liberis fossoribus, sed a servis metallariis, quorum numerus immanis erat, uti in omnibus apud veteres civitatibus, exercebatur. Athenis quoque servorum negotiatores erant, qui metallarios annua pensione elocabant. Respublica Atheniensis rem metallicam gratia et auctoritate sua semper quam maxime sustinebat et fovebat, metallici autem permultis privilegiis afficiebantur adversus eos quoque, qui communi jure potestatem habuissent, ut eorum possessionem ad se vindicarent [1]. Et creditor, qui fodinam hypothecae nomine accepisset, pignoris possessionem adipisci, re non judicata, non poterat. Ceterum fodinae hypothecae nomine obligari non poterant, qua ex causa simulata emtione utebantur, ut ad omnem eventum creditor justus fodinae possessor fieri posset. Bona, quae in metallis versabantur, vacua a tributis erant. Athenis judicium quoque rebus metallicis proprium erat, in quo lites metallicae dijudicabantur et rerum metallicarum actiones ante omnes eatenus antecedebant, ut intra mensem finiri deberent, quod hac ex causa factum esse verisimile est, ne salus publica, fodina nimis diu cessante, quid damni faceret. Ad forum judicii metallici omnes lites, quae ad rem ipsam metallicam pertinebant, afferebantur, jure metallicorum provisae, praecipue illae lites, quas metallici sociique alicujus metallicorum corporis inter se habebant. Res privatae autem, quae non ad ipsam rem metallicam pertinebant, sed causae communes erant, fodinarum possessionem utcunque spectantes, in foro communi civili dijudicabantur. De Atheniensium lege metallica non satis edocti sumus, quatuor tamen causae; de quibus illa lex agebat, nobis traditae sunt. Quae causae sunt: 1°. De transgressu fodinae finium sub terra positorum 2°. De operis metallici perturbatione et intermissione, vi facta. 3°. De saxo putrefaciendo, lignis succensis. — Lege enim cautum erat, ne saxa, quae securitatis publicae causa effodi vetitum erat, lignis succensis putrefierent. Ob hoc enim crimen Diphilus Atheniensis, bonis confiscatis, capitis damnatus est. 4°. De fodinae oppugnatione. — Metallarii enim vetere, sicut media aetate, nonnunquam inter se sub terra bella gessisse videntur [2]. —

Ex omnibus igitur, quae diximus, intelligi potest, rempublicam Atheniensium jure proprietatis, quod dominio directo quodam ad se

---

1) Cfr.: Böckh, Ueber die Laurischen Silberbergwerke in Attika l. c. p. 132 sqq.

2) Cfr.: Mosch, „Die Bergknappen des Mittelalters mit besonderm Bezug auf Schlesien" in libellis, quae inscribuntur: Friedr. Aug. Schmids Archiv für Bergwerksgeschichte, Bergrecht, Statistik und Verfassung. Altenberg 1829. Heft 2. p. 231 ssq.

vindicabat, non aliter, nisi pecunia pro emtione fodinae annuisque pensionibus percipiendis atque operum metallicorum cura gerenda, usam esse. Rempublicam autem publico sumptu metalla instruxisse non apparet, sicuti e contrario fodinae liberae, civitatisque imperio non subjectae, Athenis constitisse non videntur. Athenienses eadem metallicorum disciplina, quae in Attica exercebatur, apud ceteros quoque continentis atque insularum fodinas usi esse videntur, ita ut ibi quoque publico sumptu metalla non instruerentur et respublica donationis, permissionis, tributorum curae publicae, jura sola ad se vindicaret.

IV. *De metallorum jure Romano* *). Apud Romanos inde a bellis demum cum Carthaginiensibus gestis res metallica florere et jus metallorum primas agere radices coepit. Quae quidem res metallica imprimis in Hispania, Achaia, Macedonia, Thracia, Asia, Cypro, et ad postremum, etiam in Britannia, colebatur. Sed illud non negligendum est, in terris, quas enumeravi, rei metallicae culturam jam fuisse, antequam Romani eas occuparent. In diversis provinciis jura atque instituta metallica, quibus utebantur, varia erant, quam quidem varietatem Romani provinciarum, quas occupaverant, institutis et legibus quam maxime poterant conservatis, non delebant. Municipiis enim et civitatibus foederatis permittebant metallis ita uti, ut a majoribus traditum erat. Unde fieri poterat, ut exempli causa Pompulienses eis pollicerentur, sese ex suis ferrifodinis, in Ilva sitis, Romam ferrum esse missuros [1]).

Ex ipso jure Romano quisque fundi possessor etiam dominus illius fundi metallorum erat [2]). Fundus autem provincialis erat ipsius reipublicae Romanae, neque cuiquam in fundo provinciali praeter eos, qui jure Italico erant donati, dominium habere licebat [3]). Qui autem unum vel

---

*) De hac re latius est disputatum in hisce operibus: Reitemeyer, l. c. — Florenkourt, Ueber die Bergwerke der Alten. Göttingen 1785. — Bosse, Grundzüge des Finanzwesens im Römischen Staate. Braunschweig 1804. — Flade, Römisches Bergrecht in allen Perioden des Bergbaues dieses Volkes. Freiberg 1805. — Achenbach, das französische Bergrecht. Zeitschrift für Bergrecht von Brassert und Achenbach Bd. I. Köln 1860. — Bluhme, Zur Geschichte des Römischen Bergrechts. Zeitschrift für Bergrecht von Brassert und Achenbach. Bd. II. S. 49 sq. Bonn 1861. — Codex Theodosianus cum commentariis Jacobi Gothofredi. — Corpus juris civilis. Lipsiae 1865.

† Achenbachius jus metallicum Romanorum denuo diligenter tractavit in libro: Das französische Bergrecht und die Fortbildung desselben durch das preussische allgemeine Berggesetz. Bonn 1869. — 1) Livius XXVIII, 45.

2) Invenimus primum vestigium *liberae metallorum exercitationis* prima tertii post Christum saeculi parte in l. 13. Dig. §. 1 Communia praediorum 8, 4, ubi Ulpianus talem consuetudinem, pluribus in regionibus vivam, ostendit. Quae regiones probabiliter Graecia et vicinae sunt, ubi libertas operis metallici multo ante orta et exercita esse videtur. Manifestiora jam fiunt indicia, quae significant legalem coercitionem jurium fundi possessoris, quod ad metalla in fundo obvia attinet, in imperatorum constitutionibus quarti post Christum saeculi. Quae constitutiones anno 438 a Theodosio II. in codicis, qui Theodosianus dicitur, libro decimo, titulo decimo nono, compositae, in Justinianeo autem corpore juris civilis omnes fere neglectae sunt. Sed de hoc alio loco pluribus.

3) Cfr.: Puchta, Kursus der Institutionen. Band I, §. 69. Leipzig 1865.

alterum fructum et emolumentum ex agro provinciali habebat, eum vocabant Romani possessorem, non dominum, ita ut non jure proprietatis, sed possessoris gauderet [1]). In provinciis quoque ager privatus a publico discernebatur [2]). Agro publico etiam in provinciis homines privati utebantur, sed ita, ut non possessoris jure fruerentur, sed tantum conductoris. Illis agri privati possessoribus in provinciis vectigal imponebatur, quod aut certum solarium (vectigal stipendiarium), aut praestatio mutabilis erat, quae ad annuum praedii fructum constituebatur. Vectigal aut certa aeris reperti parte, aut nummis solvebatur. Hoc vectigal plerumque in fundo provinciali privato instructorum metallorum possessoribus pensitabatur. Haec igitur vectigalium exactio e fodinis privati fundi provincialis non proprie metallicum vectigal erat, sed tantum annua e fundi fructibus pensio. Nec paucae fodinae provinciales publicae erant, propterea quod Romani, quum quamcunque terram expugnaverant, fodinas *jam vigentes* plerumque in publicum addicebant et in fiscum redigebant atque ita terris, quas supra memoravimus, expugnatis, proprietas omnium paene metallorum maxime celebratorum antiquitatis ad rempublicam Romanam pervenerat. Tantum autem aberat, ut Romani fodinas, ita in fiscum redactas, ipsi instruerent, vel venderent, aut, uti apud Athenienses, personis privatis in perpetuum locarent, ut primo eas a censoribus quaestoribusque ad quinquennium circiter locari mallent. Locatio autem in foro Romano, originis demonstrandae causa, publica erat sub hasta, postquam antea, libello propalam posito, conditiones locationis (leges censoriae) propositae erant. Ejusmodi censoria lex de cotariis in insula Cretae locandis in loco l. 15. Dig. de public. et vectig. 39, 4 nobis tradita est. Locarium quidem (vectigal), quod saepe ad normam decumarum circumscribebatur non a republica ipsa, sed a publicanis, qui vectigalia tributaque singularum provinciarum a republica locaverant, exigebatur [3]). Quum autem ad tanta vectigalia conducenda immensa pecunia requireretur, societates publicanorum sub finem liberae civitatis ortae sunt, plerumque ex equitibus Romanis constantes, qui incommodo stipendiariorum tributariorumque immanes facultates ita acquirebant. Hi tamen conductores, qui, maximis fructibus ex redemtione vectigalium perceptis, magnum quaestum fecerant, ipsi, si postea, quinto conductionis anno jam exacto, vectigalia tantidem locari non poterant,

---

1) Quam ad rem comprobandam jam locum Gaji plene afferamus: „In provinciali solo dominium populi Romani est, vel Caesaris, nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur. — Provincialia praedia alia stipendiaria, alia tributaria vocamus, stipendiaria autem sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae populi Romani esse intelliguntur, tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae Caesaris esse creduntur.“ Gajii, Instit. II, 7, 21. — 2) Cfr.: Cicero, In Verrem III, 6.

3) Cfr. l. 1. §. 1; l. 12. §. 3. Dig. de publicanis et vestigalibus 39, 4.

ea prioribus pensionibus suscipere compellebantur [1]). Sponsores autem, qui pro publicis conductoribus se obligaverant, quum quinquennium excessit, sequentis temporis nomine non tenebantur [2]). Postea hoc gravi onere conductores liberati sunt [3]) et inde, a Constantini aetate, vectigalia tantum in tres annos locabantur. Ex hac male instituta ratione consuetudo vectigalium ex metallis locandorum consecuta est, ut publicani exactiones, per vim factas et maxime illicitas, sibi sumerent [4]). At contra fodinarum conductores, nullam rationem futuri operis metallici habentes et sine ullo respectu publicae utilitatis, ita metalla instruebant et id solum intuebantur atque curabant, ut in lustro conductionis pecunias quam maximas ex metallis facerent. Edicta enim, ad disciplinam publicam rerum metallicarum spectantia, omnino non vigebant atque ita fodinae prorsus in potestate libidineque cujusque conductoris erant, qui metalla servorum copia innumerabili instruebat, perinde ac si, annis conductionis exactis, fodinam quoque exhausisse voluisset. Ita in Hispania, ut Strabo enarrat, conductores fodinarum etiam XL millia metallicorum servorum in quodam circuitu coemerant. Galliae autem Cisalpinae auri fodinas tanta copia metallicorum exercebant, ut censor vereretur, ne fodinae praepropere exhaurirentur pretiumque metallorum nobilium minueretur. Qua re adducebatur, ut in legibus censoriis litteris consignari juberet, ut certus tantum numerus metallicorum fodinas exercendi jus et potestatem haberet [5]). Tunc primum Romani progressus faciebant in forma atque disciplina rerum metallicarum, quum alia reipublicae forma ex aetate principum novam rationem vectigalium ceterorumque publicorum fructuum administrandorum genuisset et pristinae fodinae jam in eo essent, ut plane ex causis super nominatis exhaustae essent. Quare denique emendatio disciplinae rerum metallicarum necessaria esse omnino videbatur. Permultum ad hanc conversionem res metallica bene ordinata, quam Romani in provinciis nonnullis orientalibus animadvertebant, ubi, ut supra demonstravimus, jam Graeci metallica instituta atque leges non malas reliquerant, attulisse videtur. *Prima* enim emendatio, quam Romani tum fecerunt, in eo consistebat, ut imperatores jam rei metallicae praefectos instituerent atque posthac publica metalla

---

1) Cfr. l. 11. §. 5. Dig. de publicanis et vectigalibus 39, 4. — 2) Cfr. l. 3. §. 6. Dig. de jure fisci 49, 14. — 3) Cfr. l. 9. §. 1. Dig. de public. et vectig. 39, 4.

4) Cfr. l. 12. princ. Dig. de public. et vectig. 39, 4, quo loco Ulpianus: „Quantae audaciae, quantae temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat; idcirco praetor ad compescendam eorum audaciam hoc edictum proposuit.“ — Cfr. etiam Liv. XLV, 18: „Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tolli placebat, nam neque sine publicano exerceri posse, et *ubi publicanus est, ubi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse.*“

5) Cfr. Plinii Naturalis historia XXX, 21: Exstat lex Censoria Ictimulorum aurifodinae, Vercellensi agro, qua cavebatur, ne plus quinque millibus hominum in opere publicani haberent.

non potius ad tempus locari, sed publico sumptu instrui juberent. Quibus coeptis effectum est, ut et libidini conductorum, fodinas primo quoque tempore exhauriendi, et publicanorum vexationibus aliquantulum modus constitueretur. *Altera* autem emendatio ad metallicos fossores spectabat.

Ante id tempus soli servi, aut malefici ad metalla damnati, metalla instruebant, posthac tamen angaria quaedam metallica, quam Romani in Macedonia perceperant, compluribus in locis instituebatur. Ut enim ordo metallariorum crearetur, hi metallarii et tota familia progeniesque eorum operi metallico obligati erant. Cujus rei causa iis ager ad victum cedebatur. Quam ob causam etiam metallarii glebae et metallis adscripti appellabantur. Saepe enim factum est, ut metalla publica una cum metallariis, qui iis adscripti erant, a censoribus locarentur. Quo autem tempore haec nova rei metallicae instituta iutroducta sint, incertum est. In Macedonia enim, in Illyria et Thracia, Paullus Aemilius, harum terrarum expugnator, malam conditionem et miseram vitam earum incolarum, qui antea metallis adscripti erant, publicanorum injuriis eos valde prementibus, mitigare studebat [1]). Metallarii enim, ut rusticus in gleba, ita una cum familia et tota stirpe in metallis haerebant, nam et liberi, et alia cognatio, metallis ita adscripti erant, ut conditionem patrisfamilias sequi deberent. At si metallarius quis conditionem suam commutare, aut e solo natali emigrare volebat, obligatus erat, ut aliam personam in suum locum substitueret et magna poena ii afficiebantur, qui fugae metallariorum glebae et metallis adscriptorum obsecundabant. Ceterum metallarii in ordines, quibus procuratores metallorum praefecti erant, regionatim scribebantur [2]). Etsi sors eorum, qui metallis adscripti erant, non aeque dura ac servorum atque maleficorum ad metalla damnatorum erat, tamen satis gravis et perinde paene afflicta semper erat. Nonnunquam quoque accidebat, ut aliqua gens tota metallis adscriberetur. Quid igitur mirum, persaepe metallarios, metallis et agris assignatos, sese fugae mandavisse, ut ita onerosam angariarum praestationem denique effugerent. Qua imperii acerbitate metallariorum numerus adeo imminuebatur, ut lege sanciretur, ut posthac non solum omnes metallariorum liberi, quorum antea dimidia tantum pars metallis assignata erat, sed etiam quicunque ex metallariorum nuptiis cum liberis personis procreati erant, metallis adscripti essent et fugitivis quoquo versus acriter insisteretur propriaeque originis stirpi redderentur [3]). Quum autem edictum esset, metallarios in Sardiniam, ad nova metalla, melioribus conditionibus, instruenda, transmigrare posse,

1) Cf. Livius XLV, 18, 29. — 2) Cfr. l. 4 cod. Just. de metallar. et metall. 11, 6.

3) Cfr. l. 5, 6, 7, 15 Cod. Theod. de metallis et metallar. 10, 19. — l. 7 Cod. Just, de metallar. et met. 11, 6.

tanta eorum copia illuc proficiscebatur, ut illud, quod antea permissum erat, jam denuo vetaretur, et ut etiam gubernatores atque navis magistri, qui eos illuc transportarent, magna poena afficerentur [1]). Metallariorum autem angarias immanes atque intolerabiles fuisse, ex eo quoque intelligi potest, quod in quove bello cum hoste stabant atque ad eum quam primum transfugiebant. Postremo imperatores necessario coacti sunt, hominum metallis adscriptorum sortem levare atque iis nonnulla adjumenta concedere, ne metalla plane destituerentur, qua ex causa Theodosius II anno 414 metallarios vectigalibus liberavit [2]). Atque etiam, non ita multo post, permissum est, eos agrum assignatum vendere sub hac conditione, ut agri emptor in partes eorum subiret atque operam servilem praestaret [3]), ex quo intelligi potest, angariam omnino non personae respectu, sed agri adscripti, praestitam esse.

Praeter homines, metallis adscriptos, Romani etiam posteriore imperatorum aetate servis, (qui autem plerumque non, sicut priore tempore ad hunc finem emti, aut bello capti, sed fere omnes servi poenae erant, quum, sive sceleris cujusdam, sive majestatis rei, damnati essent,) ad metalla exercenda utebantur. Ceterum jam ex Sullae aetate ad metalla ii immittebantur, qui poena, morti proxima, digni habebantur [4]), qua damnatione ad metalla, sub imperatoribus in dies magis vulgari communique facta, et ingenui, et servi, afficiebantur [5]). Ipsae mulieres [6]) et servi fugitivi etiam [7]) ad metalla damnabantur. Origo autem hujus poenae Oriens erat. In Aegypto, ubi etiam infinita multitudo bello captorum in metallis exercebatur, ad metalla damnatio perusitata erat. Cujus autem poenae usus apud Romanos accuratius lege sancitum erat. Ubiubi metalla erant, eo damnati immittebantur. Si in qua provincia metalla deficiebant, illuc, ubi eorum copia erat, illi mittebantur [8]). Persaepe etiam, si illa metalla sanitati minime locum dabant, damnati poenam perferre debebant. Damnatorum enim conditio non eadem, sed triplex erat: *Gravissima* erat poena eorum, qui *„in“* vel *„ad metalla“* damnati erant; gravioribus enim vinculis premebantur et opus atrocissimum in fodinis facere debebant. *Minus gravem* conditionem sequebantur ii, qui *„ad opus metalli“* damnati erant; levioribus vinculis enim pressi, in metallicis officinis metallum eluendo et purgando facilius opus faciebant. *Levissima* autem poena eorum erat, qui *„in ministerium metallicorum“* damnati erant, qua poena plerum-

---

1) Cfr. l. 6, l. 9 Cod. Theod. de metall. et metallariis 10, 19. — 2) Cfr. l. 9 Cod. Theod. de indulg. debit. 11, 28. — 3) Cfr. l. 15 Cod. Theod. de met. et metallar. 10, 19.

4) Cfr. § 2 Institut. de public. judiciis 4, 18. — l. 28 princ. Dig. de poenis 48, 19.

5) Cfr. l. 11 Cod. Just. de poenis 9, 47.

6) Cfr. l. 6 Dig. de captiv. et post liminio 49, 15. — l. 8, § 8 D. de poenis 48, 19 etc.

7) Cfr. l. 3 Cod. Just. de serv. fugitivis 6, 1. — 8) Cfr. l. 8, § 4 Dig. de poenis 48, 19.

que mulieres afficiebantur. Ministerium autem metallicorum probabiliter in eo consistebat, ut damnati metalla separare et e fodinis exportare deberent. Poena eorum qui «ad metalla» aut «in opus metalli« damnabantur, plerumque perpetua erat et soli praefecto urbi specialiter jus competebat in metallum damnandi[1]). Vigebat etiam damnatio ad salinas publicas: „*damnatio in salinas*", „*in opus salinarum*", qua poena feminae praecipue afficiebantur et haec damnatio probabiliter eamdem vim habebat, quam poena damnationis «in ministerium metallicorum» [2]).

Altera emendatio rei metallicae, imperatorum aetate facta, sicut jam diximus, in eo consistebat, ut imperatores persaepe publica metalla ad se vindicarent et non amplius a censoribus locari, sed a metallorum procuratoribus, id quod praecipue ex Constantini I. aetate evenit, suis sumptibus administrari juberent. Sic imperatores, cum alii, tum Tiberius, non verebantur, ne in jure et proprietate privatorum interpellarent et bona eorum, etiamsi paululum illi a republica dissidebant, aut minima injuriae hujusmodi species praebebatur, confiscarent. Jam Augusti aetate metallorum ac salinarum reditus in aerarium militare deferebantur. Tunc primum diversitas inter aerarium publicum et fiscum privatum orta est. Ab hac aetate fere omnia publica metalla ac salinas interpretamur non jam reipublicae sed principis [3]) proprietatem esse, ad quae principis metalla plerumque servi nefariique homines damnabantur. Imperatores enim proprietatem suam privatam publicam appellare audebant, ut sub hoc nomine aerarium publicum eo facilius minuere possint. Impendia et exercitatio metallorum jam vigentium fisco non tam care atque sumptuose constare poterant, quam novarum fodinarum instructio, quae passim, praecipue autem in regionibus nuper occupatis Danubii inferioris, inveniebantur, qua de causa imperatores libenter, certa pecunia soluta, instructionem novorum metallorum privatis personis concedebant. Jam sub liberae civitatis finem in provinciis etiam privati fodinarum possessores magis magisque nobis occurrunt, quae

---

1) Cfr. l. 8, § 5 Dig. de poenis 48, 19.

2) Cfr. l. 8, § 8 Dig. de poenis 48, 19. — l. 6 Dig. de captivis 49, 15. De gradibus ad metalla damnationis consulas l. 8, § 4, 6, 7, 8, 10, 12 Dig. de poenis 48, 19 et ceterum complura etiam invenias de vi naturaque hujus poenae atque de conditione ad metalla damnatorum in locis infra nominatis: l. 9, § 11. — l. 5 princ. — l. 22. — l. 23. — l. 28, § 6, § 14. — l. 36. — l. 38, princ. Dig. de poenis 48, 19. — l. 4. — l. 9. — l. 17 Cod. Just. de poenis 9, 47. — l. 1 Dig. de requir. vel absent. damnandis 48, 17. — l. 6 Cod. Justin. de accus. et inscription. 9, 2. — l. 5, § 3 Dig. de extraord. cognitionibus 50, 13. — l. 4, l. 2, l. 8 Cod. Justin. de sentent. passis et restitutis 9, 54. — § 3 Instit. Quibus modis jus 1, 12. — § 1, § 6 Instit. De capitis diminutione 1, 16. — l. 8, § 4 Dig. Qui testam. facere possunt 28, 1. — l. 3 Dig. de his, quae pro non scriptis 34, 8. — l. 12 Dig. de jure fisci 49, 14. — l. 6, § 2 Dig. Ad legem Jul. 48, 13 etc. etc.

3) Cfr. l. 6, §. 2 Dig. Ad legem Jul. peculatus 48, 13. — l. 38 Dig. de poenis 48, 19, quibus in locis metalla Caesariana, sive metalla principis, laudantur.

fodinae, quum parvos reditus ferrent, ipsis a republica concessae erant. Atque prioribus principatus saeculis saepius in Dalmatia, Illyria, Dacia, novae venae metalli inveniebantur et intermissa metalla recolebantur. Ita ad Daciae fodinas instruendas Trajani aetate societates ortae sunt. Gajus noster, qui post Trajanum vigebat, «collegia vel aurifodinarum, vel argentifodinarum, vel salinarum« commemorat [1]). In posteriore Caesarum aetate cuique, qui metallicum canonem solvebat et solum possessori damnum, agro allatum, restituebat, metalla fodere licebat [2]), sed probabiliter in agro provinciali tantum, qui semper, sicut jam diximus, reipublicae erat. Quo tempore etiam sana rei metallicae ratio exstabat. Ita jam initium l. 1 Cod. Just. de metallar. et metall. 11, 6, ubi dictum est: «Perpensa deliberatione duximus sanciendum, ut quicunque metallorum exercitium vellet affluere, *is labore proprio et sibi et reipublica commoda* compararet», testimonium sanae cognitionis rei metallicae vis atque rationis reddit. Hac enim aetate metalla, et Caesariana et privata, sub acerrima custodia curaque, neque minus sub idoneis legibus erant. Ita in quaque metallorum provincia, seu regione, comes metallorum erat, qui a principe nominari solebat [3]). Alii rei metallicae administri et praefecti, qui aut metallicis tributis aut metallicae securitatis curae atque disciplinae praeerant, commemorantur, nempe: comes sacrarum largitionum [4]), et vicarii rationales [5]), quibus comes sacrarum largitionum praefectus erat. Comes rerum privatarum [6]) erat procurator praedii privati principis, ergo fodinarum etiam Caesarianarum, si forte in agro principis erant. Qui rei metallici praefecti, quos modo memoravimus, potius pecuniae curatores, quam artis metallicae gnari fuisse videntur. Sed metallorum gubernatores atque administri plerumque servi aut libertini erant, qui non artis et doctrinae praeceptis, sed usu diuturno, edocti esse videbantur. Ceterum lege vetitum erat, ne metallorum procuratores sine imperatoris nutu nominarentur [7]).

Si, quae de jure metallico Romano exstant, ad fundum spectantia, in unum locum cogere volumus, e fontium testimonio, quae sequuntur, colligi possunt. Secundum vetustum Romanorum jus, a jure ceterarum antiquitatis civitatum, ubi plerumque fodinae proprietas publica, aut immo potius regis, erant, maxime diversum, fundi dominus metallorum etiam dominus in fundo suo versantium erat et omnino non noscitur inter varia fossilia discrimen, instar juris recentioris nostri in

---

1) Cfr. l. 1 princ. Dig. Quod cujuscunque universitatis 3, 4.

2) Cfr. l. 1, 2, 8, 10, 14 Cod. Theod. de metall. et metallariis 10, 19. — l. 1, 3, 6 Cod. Justin. de metallis et metallar. 11, 6.

3) Cfr. l. 1 Cod. Justin. de metallar. et metallis 11, 6. — l. 3 Cod. Theod. de metall. et metallar. 10, 19. — 4) Cfr. l. 2, l. 5, l. 7 Cod. Just. XI, 6. — l. 9, l. 12, l. 15 Cod. Theod. 10, 19. — 5) Cfr. l. 1 Cod. Theod. X, 19. — 6) Cfr. l. 5 Cod. Theod. X, 19.

7) Cfr. l. 4 Cod. Just. 11, 6. — l. 5 Cod. Theod. de procur. gymnas. 1, 32.

Germania, alia fossilia a proprietate fundi domini abjudicantis, alia soli domino adjudicantis. Jus enim Romanum ad subterraneam cohaerentiam et continuationem metallorum respectum non habet, sed fodinae omnino proprietate agrariae superficiei determinantur. Quare memoratu dignus est locus: l. 8, § 1 Dig., de acquirendo rerum dominio 41, 1, unde intelligi certo potest, proprietatem subterraneam etiam finibus proprietatis agrariae determinari. Secundum locum etiam: l. 77. Dig., de contrahenda emtione 18, 1, lapidicinae agri partes sunt inhaerentes sine ullo fossilium discrimine, quae una cum agro venduntur, vel emuntur. Si autem lapidicinae in lege fundi vendendi exceptae essent, hanc exceptionem referre ad fodinas solum, tempore venditionis jam existentes [1]). Ceterum ex hac exceptione non metallorum proprietas, sed solum servitus lapidis eximendi oritur [2]). Invenies enim in locis: l. 1, § 1; l. 5, § 1; l. 6 princ. § 1 Dig., de servitutibus praed. rustic. 8, 3, quum alias servitutes enumeratas, tum servitutem lapidis eximendi, cretae eximendae, arenae fodiendae, calcis coquendae. Metallorum igitur exercitatio ad usumfructum agri pertinet, quia omnia, quaecunque ex agro percipi possunt, ad agri fructum pertinent et fossilia partes inhaerentes sunt fundi; ergo semper fundi possessori sunt [3]). Metalla enim non aliud, quam genus aliquod frugis sunt, quam fundus reddit [4]). Si igitur ususfructus agri datur, metallorum quoque, et jam exstantium, et inveniendorum, ususfructus accipitur [5]). Quo tamen usufructu agrum corrumpere non licet, sed nos illo frui arbitratu boni viri et boni patrisfamilias oportet. Quum autem ei, qui alicujus rei usumfructum habet, rem meliorem quidem, sed non deteriorem facere liceat, quaeritur, an usufructuarius metalla etiam instituere possit? Ulpianus in loco l. 13, §. 5, 6 Dig. de usufructu 7, 1, affirmat, illum posse; si agriculturae nihil damni illaturus sit. Si forte igitur in metallis instituendis plus reditus sit, quam in vineis vel olivetis, usufructuarium forsitan haec dejicere posse, quia ita praedium domino melioraretur. Si tamen forte aer praedii caminis instructis corrumpatur, aut si forsitan, magno officinarum apparatu copiaque metallicorum, impendia domino nimis sumptuosa fierent, usufructuarium alieno praedio non viri boni arbitratu frui videri, quum illi ne aedificium quidem in praedio

---

1) Hoc quidem loco vocabulum „lapidicinae" idem valere, quod „metalla", jam ex locis l. 3, § 6 Dig. de rebus eorum, qui sub tutela 27, 9 et l. 9, § 2, 3 Dig. de usufructu 7, 1 intelligi potest, ubi metalla lapidicinae, cretifodinae, vel etiam arenae appellantur, uti „venae lapidicinarum et hujusmodi metallorum" commemorantur in loco l. 13, § 5 Dig. de usufructu 7, 1. Romani enim, quodvis fossile fructuosum metallum vocant, tum salem, cretam, marmor, saxum, argillam etiam et arenam, tum rursum, quae nos metalla appellamus, sicut aurum, argentum, cuprum, ferrum, aliaque.

2) Cfr. l. 1, § 1; l. 5, § 1; l. 6 princ., § 1 Dig. de servitut. praed. rustic. 8, 3.

3) Cfr. l. 9 princ. Dig. de usufructu 7, 1. — 4) Cfr. l. 77 Dig. de verborum significatione 50, 16. — 5) Cfr. l. 9 § 2, 3 Dig. de usufructu 7, 1.

ponere licere, nisi qnod ad fructum percipiendum necessarium sit [1]). Ita maritus quoque usumfructum habet omnium metallorum in fundo dotali, nisi mulier in dote danda contrariam voluntatem declaraverit [2]). Divortio facto, marito autem sunt omnia fossilia jam caesa neque exportata, in controversia solum erat, quis impensas, in metalla factas, mulier an vir, praestare deberet. Labeo enim affirmat, mulierem nihil praestare debere, quia eae impensae necessariae non fuissent, fundusque dotalis etiam deterior esset factus. E contrario Javolenus non tantum necessarias impensas a muliere praestandas esse existimat, sed etiam utiles, et fundum deteriorem factum esse omnino negat, nisi esset, ut in metallis lapis crescere non posset [3]). Ulpianus denique putat, mulierem impensas in fodinas marmoreas factas, praestare non debere, propterea quod marmor non cresceret, neque igitur in fructu esset. In Gallia quidem et in Asia quoque crescere marmor dicit ibique etiam in fructu esse marmor, sicut cetera fossilia semper in fructu sint, quia, lapide caeso, renascerentur [4]). — His ex locis apparet discrimen, quod Romani inter marmoreas lapidicinas et ceteras fodinas statuunt. Apud veteres enim atque etiam in media, et ea, quae mediam secuta est, aetate, illa opinio pervulgata erat, qua metalla fossiliaque putabantur in venis ceterisque cubilibus subterraneis procreari atque semper crescere, ita ut, fossilibus e gremio terrae effossis, nova metalla renascerentur et venae accrescerent. Immo vero etiam putabatur, ut e loco jam citato: l. 7, § 13, 14 Dig. Soluto matrimonio 24, 3, patet, non solum egregia metalla, sed etiam fossilia cujuscunque alterius materiae, veluti cretam, arenam et certa marmorum in Asia Galliaque genera, semper renasci. Ea igitur fossilia, quae idonea ad accrescendum et procreandum habebantur, fruges fundi existimabantur, alia autem erat causa earum marmorearum aliarumque lapidicinarum, quae quidem semper in omnium conspectu erant, et ubi lapis accrescere nolebat. De hac re consulas etiam l. 32 Dig. de jure dotium, 23, 3, locis, quos citavimus, perspectis. — Sed si pupillus metalla possidebat, eas alienare aut oppignerare, nisi praetoris jussu, non licebat [5]). Ex loco jam citato, l. 5 § 2 Dig. de rebus eorum, qui sub tutela 27, 9, sicut etiam ex l. 4 Dig. § 7 de censibus 50, 15, intelligi potest, Romanos inter salinas et cetera metalla discrimen non statuisse. Volebant enim, etiam salinas fundi partes esse, quare salinas etiam in possessione personarum privatarum esse semper licitum erat. Romani enim praeter publicas etiam privatas salinas habebant, quae in possessione domini fundi erant. Hoc non

---

1) Cfr. l. 13 § 5, 6 Dig. de usufructu 7, 1. — 2) Cfr. l. 8 princ. Dig. Soluto matrimonio 24, 3. — 3) Cfr. l. 18 princ. de fundo dotali 23, 5. — 4) Cfr. l. 7 § 13, 14 Dig. Soluto matrimonio 24, 3. — 5) Cfr. l. 3 § 6, l. 4, l. 5 pr. § 1, 2 Dig. de rebus eorum, qui sub tutela 27, 9.

solum ex locis jam citatis, sed etiam ex permultis aliis locis et ex l. 32 § 2, 3 Dig. de usu et usufructu etc. 33, 2 apparet, ubi salinarum mentio fit, veluti causae ususfructus legati. Praeter solarium, sive vectigal, quod fundo impositum erat, salinae et metalla aurarium pendere debebant, sicut ex loco jam citato: l. 4 § 7 Dig. de censibus 50, 15, neque minus ex l. 17 § 1 Dig. de verborum significatione 50, 16, intelligi potest, ubi vectigalia salinarum et metallorum inter alia publica tributa commemorantur. Ubicunque enim in possessionibus privatis salinae aut metalla erant, horum primum ratio haberi debebat, maxime abundantium fructibus, quos possessio reddebat, dum praedii agri, qui circumjacebant, secundas tantum partes obtinebant. Non est igitur, quod miremur, in indicendis et exigendis vectigalibus solum salinarum et metallorum reditus, non autem ceterorum fructuum, quos praedium reddebat, mentionem fieri. Vectigal, salinarum et metallorum fructibus perceptum, probabiliter ceteris vectigalibus, quae fructibus impositae erant, simile fuisse videtur, uti ex l. 16, § 7, Dig. de publicanis et vectig. 39, 4 colligi potest, ubi cum aliae res vectigales, tum margaritae, lapilli generosi, ebur et ferrum Indicum praeter piper, aliaeque aromata, enumerantur [1]). Vectigal metallorum canon nominabatur, quod vera et propria significatio metallorum vectigalium fuisse videtur. Canon autem non aliud, nisi certa mensura quaedam erat, quae plerumque ex decima parte fructuum constabat, semper tamen et prae omnibus, in canone statuendo, propria cujuscunque terrae consuetudo spectari debebat [2]). Uti jam diximus, vectigalibus soli meri metallorum fructus premebantur et metallicum tributum, nisi ex certa numerata pecunia, plerumque ex certo pondere metalli confecti, constabat, si id in publicis monetis et officinis consumi solebat. Posteriore autem aetate (a. 388) pecuniam numeratam, pro specie metalli confecti pendi, edicto vetitum est, ut in officinis publicis merum et optimum ferrum conficeretur [3]). In nonnullis quoque provinciis omnino vectigal viliorum fossilium non ex decimis, sed ex certo tantum pondere, aut mensura metalli constitisse videtur. Anno autem 397 edictum propositum est, loco argenti etiam aurum pensitari posse, ita ut pro singulis libris argenti quini solidi numerentur [4]). Neque minus licitum erat, pro cupro aurum pendere, ita ut pro vicenis libris aeris unus solidus exsolveretur [5]). Auri fodinarum annuum tributum jam prius legibus [6]) accuratius constitutum, insuper aurum confectum fisco vendi jussum erat [7]), id quod probabiliter

---

1) Cfr. quoque l. 16, § 11 Dig. de public. et vectigal. 39, 4. — 2) Cfr. l. 4, § 2 Dig. de publicanis et vectigal. 39, 4. — 3) Cfr. l. 1 Cod. Justin. de fabricensibus 11, 9. — 4) Cfr. l. 2 Cod. Just. de argenti pretio 10, 76. — 5) Cfr. l. 1 Cd. Justin. de collatione aeris 10, 29. — 6) Cfr. l. 1, 2, 5 Cod. Just. de metall. et metallis 11, 6. — 7) Cfr. l. 1 Cod. Just. 11, 6.

factum est, ne in barbarorum manus perveniret. Lege enim acerrime vetitum erat, aurum foras transferri [1]). Semper fieri tamen, ut in metallico canone exigendo propria cujusvis provinciae consuetudo conservaretur, principes voluerunt [2]). In l. 5 Cod. Just. de metallor. et met. 11, 6 mentio fit tributi, quod aurileguli quoque, sive ii, qui e fluminum glarea aurum eluebant et quorum numerus in antiquitate permagnus fuisse videtur, pensitare debebant.

Sunt quoque in jure Romano constitutiones, quibus statuitur, quatenus aliae personae *in fundo alieno* fossilia quaerendi investigandique jus et potestatem habeant. Inde agri dominus alios in fundo suo ad metalla indaganda admittere cogitur. Quae autem vestigia legalis cujusdam coercitionis proprietatis, praecipue in XIX° titulo libri X^i codicis Theodosiani collecta, ex principum constitutionibus constant, ad quas infra redibimus. Justinianus autem non adductus est, ut germina atque elementa liberae metallorum exercitionis, quae his principum constitutionibus inserta erant, in corpus suum juris reciperet, sed eas tantum constitutiones accepit, quae ad metallica vectigalia, aut ad metallorum disciplinam curamque publicae securitatis spectabant. Jam anno 530 ille imperator dominium, quasi directum quoddam, quod respublica ante eum Romana semper in fundo provinciali habuerat, sustulit, itaque fundum provincialem fundo Italico aequari voluit, ita ut inde ab hoc tempore etiam in fundo provinciali privata persona, loco prioris merae possessionis, veram proprietatem habere posset [3]). Quum igitur libera metallorum exercitatio, quam in principum constitutionibus Codicis Theodosianus reperimus, solum ad provincialem fundum spectaret, eadem lege, qua dominium directum reipublicae in fundo provinciali sublatum est, simul etiam hanc priorem legalem coercitionem proprietatis in fundo provinciali obolitam esse, probabilis conjectura est [4]). Nihilominus etiam in Justinianeo corpore juris vestigia restant, ex quibus apparet, compluribus in locis civitatis Romanae, praecipue autem in provinciis orientalibus, libertatem quamdam operis metallici ex jure consuetudinis exstitisse. Persaepe tamen in hac operis metallici libertate suberat servitus quaedam, quae etiam legalis esse potuit. Quare magni momenti est l. 13 § 1 Dig. Communia praediorum, 8, 4 [5]), quo loco

---

1) Cfr. l. 2 Cod. Just. de commerciis et mercatoribus 4, 63. — 2) Cfr. l. 2 Cod. Just. de metallar. et metallis 11, 6. — 3) Cfr. l. 1 Cod. Just. de nudo jure Quiritium tollendo 7, 25. — 4) De hac re consulas Bluhme l. c. p. 49. — Achenbach, l. c. p. 73. — Klostermann l. c. p. 22. — 5) Si constat, in tuo agro lapidicinas esse, invito te nec privato, nec publico nomine quisquam lapidem caedere potest, cui id faciendi jus non est, nisi talis consuetudo in illis lapidicinis consistat, ut, si quis voluerit ex his caedere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum solarium pro hoc domino praestat, ita tamen lapides caedere debet, postquam satisfaciat domino ut neque usus necessarii lapidis intercludatur, neque commoditas rei jure domino adimatur (l. 13 § 1 Dig. Communia praediorum 8, 4.)

Ulpianus, qui prima parte tertii post Christum saeculi florebat, confirmat, neminem, cui dominus fundi id non permiserit, neque privato, neque publico nomine metalla instruere posse, nisi in illo fundo servitus lapidis eximendi, aut nisi praeterea in illa regione consuetudo, ubicunque metalla caedendi, constituta esset. Memoratu perdignum est ibi illud dictum, ex quo patet, in nonnullis provinciis, fortasse in Graecia et in vicinis terris, operis metallici libertatem quandam jam exstitisse, ita ut his in locis ubique, quicunque fundi domino restitutionem solvebat, metalla instruere posset. Si autem, uti Ulpianus loco suo pergit, fundi dominus ad metalla exercenda consensisset, primum ei a metalli instructore solitum solarium pendi debere, et praeterea metalla ita exercenda esse, ut neque usus necessarii lapidis intercluderetur neque domino commoditas in agro utendo denegeretur. Praeter solarium [1]), domino fundi numerandum, in l. 3 Cod. Just. de metallar. et metallis 11, 6 (quae constitutio anno 382 facta e Theodosiano codice translata est) commemorantur etiam metalli infecti decimae, quas metalli instructor domino fundi, praeter decimas fisco pensitandas, exsolvere debebat [2]). Acerrime autem semper, publicae securitatis causa sub alienis aedificis metalla instrui vetitum erat, ut manifeste e l. 6 Cod. Just. de metall. et metallis 11, 6. — (excerpta e l. 14 Cod. Theod. de metallis et metallar. 10, 19 [3]) — intelligi potest. Ceterum fundi possessor etiam edicto praetoris, quod in l. 12 § 1 Dig. de publicanis et vectig. 39, 4 positum est, contra molestias metallicorum protegebatur, quum l. 13 princ. Dig. de publ. et vectig. 39, 4 statuisset, ut edictum contra publicanorum audaciam, etiam contra privatorum metallicorum salinatorumque injurias valeret [4]). Omnino metallorum instructores, simili modo, ut publicani, omnia, etiam ea, quae a servis et fossoribus suis facienda aut vitanda erant, in se recipere debebant [5]). Ex lege autem, quam

---

1) In locis quoque l. 14 Cod. Theodos. de met. et metall. 10, 19 et l. 1 Breviarii Alariciani de met. et metallar. 10, 11 haec „pretii pecunia" aut solarium commemoratur, quod jam in Atticorum instruendis metallis, uti supra intelleximus, dari solebat.

2) Imp. p. p. Gratianus, Valentinianus et Theodosianus A. A. A. Floro P. P. a. 382: Cuncti, qui per privatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repraesentent, cetero modo suis desideriis vindicando. (l. 3 Cod. Just. De metall. et metallis 11, 6.)

3) Imp. p. p. Theodosius, Arcadius et Honorius A. A. A. Paterno a. 393: Quosdam operta humo esse saxa dicentes id agere cognovimus, ut, defossis in altum cuniculis, alienarum aedium fundamenta labefactent. Qua de re, si quando hujusmodi marmora sub aedificiis latere dicantur, perquirendi eadem copia denegetur — ne dum cautium ementita nobilitas cum aedificiorum qualitate taxatur et pretium, domus ne diruatur, offertur non tam publicae rei studium, quam privati causa videatur dispendii (l. 14, Cod. Theod. de met. et metallor. 10, 19).

4) „Sed et hi, qui salinas et cretifodinas et metalla habent, publicanorum loco sunt" (l. 13 princ. Dig. de publ. et vectig. 39, 4). — 5) Magnus Antoninus rescripsit, si colonus, vel servi domini praedii ferrum illicite in praedio fecerint ignorante domino, nulla poena dominum teneri. Cfr. l. 16, § 11 Dig. de publ. et vectig. 39, 4.

modo citavimus, intelligi potest, etiam metallicos atque salinatores fundi domino tam permultas injurias intulisse, ut jura proprietatis defendi oporteret. Ea servitus tamen agro inhaerere potuit, ut rudera et saxa fodinae, quae in vicino fundo posita erat, in eum dejici indeque exportari possent [1]). Haud scio, an ad metallorum aquaeductus etiam transferri possint, l. 1 princ. l. 2 § 1, l. 9, l. 15, l. 17, l. 21, l. 33 Dig. de servitutibus praediorum rusticorum 8, 3.

Fuerunt multi, qui jam inde concludebant, omnia metalla apud Romanos, quia omnia fossilia publicis vectigalibus subjecta erant et quod etiam interdum respublica jus et potestatem habebat, in certis metallis nobilioribus et sale emendis, vel vendendis alios excludendi [2]), juri regali subdita esse [3]). Sed prorsus falsa haec conclusio est, quum tantum ea metalla et salinae, quae in fundo fiscali sita erant, fisci essent [4]). A metallis enim, in privata possessione versantibus, sicut jam ab aliis rebus, e solo vectigali majestate et jure tributum exigebatur, quod, aut vectigal, aut decima, aut canon metalli, appellabatur. Nihil aliud nisi certum fructuum metallicorum pondus aut mensura erat, quod etiam pecunia numerata pensitari solebat. Mera igitur auraria hoc tributum metallicum erat et sicut e l. 16, § 7 Dig. de publican. et vectig. 39, 4 colligi potest; potius frugis, quam operis metallorum tributum erat. Ceterum quivis proprietarius immodico proprietatis usufruebatur, et alius non jus et potestatem habebat metallorum in alieno fundo investigandorum, nisi id proprietarius permiserat, eique solitum solarium numerabatur. *In toto corpore juris Justinianeo nullus locus invenitur, qui jus quoddam regale, quem admodum nos intelligimus, significaret.* Etiam animum in id intendere debemus, numne illis corporis juris locis, ubicunque metalla commemorantur, de publicis, an de privatis, metallis salinisque sermo fiat. Romani quidem imperatores inde a Tiberiana aetate sibi sumebant, ut nonnunquam in jure privatorum metallorum interpellarent [5]), nec in Theodosiano codice nonnullae constitutiones desunt, quas jus quoddam regale esse interpreteris. Sed tamen

---

1) Cfr. l. 3 § 2 Dig. de servitutibus praed. rustic. 8, 3. Conferas etiam contra l. 8 § 5 Dig. de serv. praed. rust. 8, 3. — 2) Cfr. l. 1 Cod. Just. de metall. et metallis 11, 6. — l. 11 Cod. Justin. de vectig. et commissis 4, 61. — 3) Cfr. Bosse l. c. tom. I. p. 193 sq. tom. II. p. 102 sq., qui ad opinionem suam comprobandam, in loco l. 3 Cod. Just. de metallar. et met. 11, 6 nititur. Attamen hic locus minime jus quoddam regale, sed potius nascentem libertatem metallorum significat.

4) Ita etiam ille T. Livii locus, quo Paullus Aemilius Macedoniae metallorum conditionem pronuntiat, explicandus est; quaenam loci verba haecce sunt: „*Metalla quoque auri atque argenti non exerceri, ferri et aeris permitti.* Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit." Liv. XLV. 29.

5) Ita scriptores narrant, Tiberium plurimis etiam civitatibus et privatis veteres immunitates et *jus metallorum* ac vectigal ademisse (Cfr. Sueton. Tiber. c. 49) et Sexti Marii, Hispaniarum ditissimi, capitis damnati, cui magnitudo pecuniae malo verteret, *aurarias, quanquam publicarentur sibimet seposuisse.* (Cfr. Tacit. annal. VI, 19).

etiam in Theodosiano publicae a privatis fodinis diligenter discernendae sunt et animum ad id animadvertere debemus, num talis constitutio in usum totius imperii edicta esset, an in usum singularum compluriumve provinciarum, nec minus, si res ita se habet, quaerendum est, quaenam consuetudines provinciarum propriae, quive usus, illic vigerent. Illae autem constitutiones, quas jus quoddam regale intelligere possis, dum potius nascentem libertatem operis metallici significabant, statim a principio plerumque ad fodinas marmoreas, in fundo provinciali positas spectabant, quae, quum et a fisco et a privatis personis splendidissima sumptuosissimaque aedificia exstruerentur, tunc maxime florebant. Qua ratione insignes sunt l. l. 1, 2, 8, 13, 14 Codicis Theodosiani de metallis et metallariis 10, 19. Quum autem harum legum prima [1]), anno 320 facta, ad publicas fodinas marmoreas Africae tantum spectaret, ut jam ex inscriptione et titulo apparet, minime jus regale quoddam, sed nascentem operis metallici libertatem significat, quum liberam metallorum exercitationem in Africa instituerit. In l. 2 citata tamen, anno 363 facta, quae constitutio comiti officiorum inscripta est, unicuique facultas marmorum toto regno caedendorum tribuitur [2]). Ad hanc operis metallici libertatem, hac constitutione datam, etiam l. 11 loc. citat.. anno 384 facta, relegat, quae deinde solitum metallorum tributum [3]) ad marmoreas etiam fodinas transfert [4]). Lex 8 citata, anno 378 facta, hanc ob rem insignis est, quod ex ea colligi potest, jus instruendi privatas fodinas non semper extitisse, quum hoc loco permissio, sub certa conditione jampridem Macedoniae et Illyriae data, commemoretur [5]). Non minus notabilis lex est 14ª, quam saepius citavimus, anno 393 facta, quam constitutionem Codex quoque Justinianeus, sed contractam,

1) Imp. Constantinus ad Maximum, Rationalem Africae. (a. 320): Secandorum marmorum ex quibuscunque metallis, volentibus, tribuimus facultatem, ita ut, qui caedere metallum atque ex eo facere, quodcunque decreverint, etiam distrahendi habeant liberam potestatem (l. 1 Cod. Theod. X, 19).

2) Imp. Justinianus ad Rufinum Com. officiorum (a. 363). Quoniam marmorum cupiditate in immensum quoddam luxorum pretia aucta sunt, ut sumptuosa voluntas copia relaxetur, permittimus omnibus, ut qui volunt, caedere habeant licentiam adtributam. Fore enim arbitramur, ut etiam complures saxorum nitentium venae in lucem usumque perveniant (l. 2 Cod. Theod. X, 19).

3) Cfr. etiam l. 10 Cod. Theod. X, 19. — l. 3 Cod. Just. XI, 6.

4) Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius A. A. A. Pf. Pr. (a. 384). Hi, quibus ad exercenda metalla privata dives marmorum vena consentit, excidendi exsecandique juxta legem dudum latam habeant facultatem, ita ut decima pars fisci nostri utilitatibus, decima ei, cujus locus est, deputetur. Quidquid vero reliquum fuerit, id juxta ejusdem legis tenorem exercentibus cedat: habiturus licentiam vendendi, donandi, et quo voluntas suaserit, transferendi (l. 11 Cod. Theod. X, 19).

5) Gratiani lex ad senatum a. 376. Potestatem eruendi vel exsecandi de privatis lapidicinis jampridem per Macedoniam et Illyrici tractum certa sub conditione permisimus, sed vobis patres conscripti volentibus liberius deferatur, suo ut quisque sumptu suoque emolumento vectigalis operas portorii damna non metuens pariat eam copiam etc. (l. 8 Cod. Theod. X, 19).

tradit [1]). Definite enim haec constitutio de opere metallico fundi alieni loquitur, etiamque permissionem, quae autem, si metalla sub aedificiis lateant, semper neganda sit, metalli indagandi commemorat. Quae autem constitutio in breviario Alariciano, anno 506 ab Alarico II rege Visigothorum composito, recepta est [2]), nec scio, quanti momenti hoc fuerit, ut libera metallorum exercitatio, quae consuetudo in oriente jampridem vigebat, etiam per occidentem propagata sit, atque ita haec consuetudo in novam aetatem translata sit [3]). Vicissim in lege Romana Burgundionum hujus materiae plane mentio non fit. Maximi momenti nobis est lex illa 13ª, anno 393 facta, quia manifeste jus quoddam regale metallorum significat. Hac enim constitutione marmorea metalla a privatis exerceri acerrime vetatur, ut fiscales fodinae prosperius procederent [4]). Quae tamen constitutiones Theodosianae in jure Romano, si fortasse l. 3 et l. 6 Cod. Just. de metallar. et met. 11, 6 excipere velis, stabilem vim non habebant, quum jam Justinianus, e causis supra significatis, in corpore juris componendo eas neglexerit atque, possessione in fundo provinciali sublata, eo potius vetusti juris Romani axiomata conservaverit. Tunc primum, quum per mediam aetatem jurisconsulti institutionem juris regalis metallorum in jure Romano niti volebant, illarum Theodosiani codicis constitutionum meminisse videntur, ut in iis jus regale metallorum superstruerent.

Pars secunda. De jure fodinarum apud Germanos.

V. *De jure metallico per mediam aetatem valido* *). Tempestates,

1) Invenies eam p. 21, not. 3. Confr. etiam l. 6 Cod. Just. XI, 6. — 2) Cfr. l. 1 Brev. Alaric. de metall. et metallar. 10, 11.

3) Hoc loco etiam notandae sunt variationes lectionis in fossilibus nominandis, quae in Alariciano breviario inveniuntur. In Theodosiano et Justinianeo codice constitutio enim loquitur de „saxibus", „marmoribus", „cautibus", jam in interpretatione legis Visigothorum sermo de „metallis" fit, de „lapidibus", de „saxis" vel „marmoribus"; epitomae autem Aegidii, Guelpherbytani codicis, Monachi, non vocabulo „saxa vel marmora", sed communi significatione „metalli" utuntur, dum Lugdunensis epitome de „saxibus" vel „marmoribus" loquitur. Sed Scintilla, prima noni saeculi parte scripta, ita proponit: „Nullus bessus dum ***auri metallum*** sequitur, fundamenta domorum praesumat irrumpere." Et simili modo epitome S. Galli: „Item alia interpretatio. De metallis et metallariis, hoc est, ut nullus praesumat sub alterius fundamentum, ubi ipse homo aedificium habet, ***nec aurum nec ulla rebustura*** quaerere nisi pro ejus covenientia, cujus aedificium est nec propter ipsam ***reposturam*** illum aedificium alterius distruat." Cfr. Lex Romana Visigothorum ed. Haenel. Berolin. 1847 p. 218 sq. — Rudorff, Römisch. Rechtsgeschichte I. p. 291 sq. — Puchta Institutionem I. p. 594 sq. — Bluhme l. c. — Achenbach, Das französ. Bergrecht l. c. p. 169.

4) Impp.p. Valentianus, Theodosius, Arcadius A. A. A. Rufino Pf. Praetorio a. 393. Privatorum manus ab exercendorum quolibet marmoreo metallo prohiberi praecipimus ut fiscalibus instantia locis liberius relaxetur. Si qui vero clandestino opere vetita deinceps exercere tentaverit, omne id, quidquid exciderit, juri fisci et publico vindicandum (l. 13 Cod. Theod. X, 19).

*) Praeter Reitemeyeri, Hüllmanni, Karstenii, Zachariae, opuscula jam citata cfr. etiam:

quae migratione gentium exortae sunt, prosperitati rei Romanorum metallicae magnam plagam intulerunt et eo vehementius metalla diruebant atque vertebant, quod fessi atque longioris servitutis pertaesi metallarii, servi atque metallis adscripti, praecipue in provinciis orientalibus, cum barbaris contra communem hostem se junxerunt. Ita jam Valente imperatore, Thraces metallarios in partes invictorum Gothorum transgressos esse, scriptores narrant et jam initio migrationis gentium Romani fodinas, nuper praeter Danubium instructas, in Transsylvania, Pannonia, Dacia, Thracia, amiserunt. Ab altera parte Macedonica, Dalmatica et Illyrica metalla etiam permagnam calamitatem acceperant ex qua emergere non possent. Metallarii autem harum terrarum, aut capti in manus barbarorum pervenerunt atque in servitutem abducti sunt, aut voluntarii, multis injuriis atque acerbitate imperii Romani irati, ad hostes transierunt. Ita barbari, qui usque adhuc in re metallica rudes fuerant, a metallariis artem metallorum didicerunt. Quare barbarum, i. e. Dacorum, rex Decebalus magnas divitias ex metallis, quae a servis ejus, artis fodinarum exstruendarum non ignaris, et a transfugis metallariis praeter Danubium inferiorem in Dacia instructa esse verisimile est, sibi comparasse traditur. Imperio autem Romano occidentali finito, barbari possessionem plane omnium fodinarum Romanorum invaserunt et Gothos, sicut antea in Pannonia, nunc, Theodorico rege, in Italia, Francos in Gallia, Vandalos in Hispania, alios in aliis terris, metalla exercuisse, satis notum est. Et ita solum explicari potest, tot usus, tot metallorum consuetudines, a prima et vetusta aetate usque ad nostrum tempus semper in usu fuisse. Praecipue autem in illis

---

Georg Agricola, de re metallica libri XII Basiliae 1556. — Corpus juris et systema rerum metallicarum Francofurti 1698. — Reusch, origo metallifodinarum in Germania. Helmstädt 1725. — Hertwig, Neues und vollkommenes Bergbuch. Leipzig 1734. — Blasius Cariophylus, De antiquis auri, argenti, stanni etc. fodinis opusculum Viennae 1757. — Klotzsch, Ursprung der Bergwerke in Sachsen. Chemnitz 1764. — Lori, Sammlung des bayrischen Bergrechtes. München 1764. — Sperges, Tyrolische Bergwerksgeschichte mit Urkunden. Wien 1765. — Peithner, Edler von Lichtenfels, Versuch über die natürliche und politische Geschichte des Bergbaues im Königreich Böhmen und Ungarn. Wien 1780. — Gmelin, Beiträge zur Geschichte des deutschen Bergbaues. Halle 1788. — Thom. von Wagner, Corpus juris metallici, recentissimi et antiquioris. Lipsiae 1791. — Engels, Ueber den Bergbau der Alten in den Ländern des Rheins, der Lahn und der Sieg. Siegen 1808. — F. J. Meyer, Versuch einer Geschichte der Bergwerksverfassung und der Bergrechte des Harzes. Eisenach 1817. — Mosch, Geschichte des Bergbaues in Deutschland. Liegnitz 1829. — F. A. Schmidt, Chronologisch systematische Sammlung der Berggesetze der österreichischen Monarchie. Wien 1832. — G. Freiesleben, Darstellung der Grundlagen der sächsischen Bergwerksverfassung. Leipzig 1837. — Sternberg, Umrisse der Geschichte des Bergbaues und der Berggesetzgebung im Königreich Böhmen. Prag 1837. — Steinbeck, Geschichte des schlesischen Bergbaues. Breslau 1857 — † Commer, Ueber den Bergbau der Klöster im Mittelalter. Hist. Polit. Blätter, herausgegeben von Jörg und Binder. Bd. 64. München 1869, S. 297—315. — Trenkle, Geschichte des Bergbaues im südwestlichen Schwarzwald. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 11. Bonn 1870, S. 185—230.

terris ars metallica florebat et propriae ejus consuetudines semper integrae manebant, ubi opus metallicum non a servis, sed liberis fossoribus exercebatur. Illi enim metallarii transfugae, qui praeter Danubium inferiorem ad partes barbarorum se transtulerant, paene omnes jam apud Romanos, non servi, sed metallis solum adscripti fuerant. Barbari autem, illorum labore magnis divitiis locupletati et miram illorum industriam magni aestimantes, non in servitutem eos redigebant, sed liberaliter eos semper tractabant, ita ut, etiamsi metallarii initio in potestate et ditione semper tenebantur et sui juris non erant, tamen eorum status et conditio apud barbaros multo melior, quam sub Romanorum imperio, esset.

Hic autem, ut ita dicam, veluti ad pontem advenimus, qui quodam modo artem metallicam ex antiquitate in nostram aetatem traducit. Nam dubitari non potest, quin in terris praeter Danubium inferiorem, in Pannonia et Transylvania, sicut etiam in Illyria et Raetia, quod epitome Breviarii Romani Raetica jam probat, metallicum opus Romanos attingat. E contrario colligi potest, certa historiae aetate metallarios Pannonicos in Moraviam et Bohemiam pervenisse, atque artem metallicam ex hisce terris propriaque ejus jura atque consuetudines per totam sese Germaniam diffudisse. Etiam permultae artis vocabula, quae in ore et lingua metallicorum versantur, jam originem Slavonicam significant [1]. Nonnulli quidem, in his nuper etiam Klostermann l. c. p. 32 sq., rem metallicam Germanicam et Graeco-Romanam inter se cohaerere et connexas esse, omnino negant, quum plane Germaniam sibi ipsi, et metallicorum jus atque consuetudines, et metallarios, reddidisse contendant, eamque ei soli gloriam vindicent. In Saxonia enim rem metallicam sponte natam esse dicunt. Certo demonstrari potest, in Germania *interiore* ante decimam post Christum saeculum rem metallicam ignotam fuisse. Quidam chronista, Thuringensis, ad annum 961 narrat: «Temporibus suis (Ottonis I[i]) aureum illuxit saeculum, apud nos inventa est *primum* vena argenti» [2]. Multo post denique probabiliter Saxoniae fodinae inventae atque instructae sunt [3]. Tyroliensia autem et praecipue Pannoniae metalla a Romanorum usque ad nostram aetatem prorsus nunquam intermissa atque destituta esse jam historia docet. Ceterum opinari potest, Bohemica metalla primum a metallariis, ex orientalibus regionibus venientibus, instructa esse, quod quum ita se

---

1) Cfr. Tausch, Oestreichisches Bergrecht. Wien 1834. p. 64. — Reitemeyer l. c. — Weiske l. c. p. 27 sq. verisimilem inter nostra et Graeco-Romana metalla cohaerentiam connexumque significat. — Karsten l. c. p. 6 denique nostrarum atque Graecorum metallicarum consuetudinum similitudinem monstrat.

2) Cfr. Thitmari Chronic. II, 8 (Pertz monument. tom. V. Script. III. p. 747).

3) Cfr. Karsten l. c. — Cfr. etiam Klotsch l. c. — In pacto Culmense verum a. 1232 jam de jure metallico Fribergense sermo est.

habeat, illos quoque fossores, qui decimo post Christum natum saeculo metalla in Thuringia et in monte Hartico instruxerunt, Hungaricos vel Bohomicos fuisse verisimile est. At nihilo minus constat, fodinis Saxonibus illa metalla aetate priora fuisse. Etiam in litterarum Franco-Gallicis monumentis quinti decimi post Christum saeculum, quae excerpta Achenbach [1]) composuit, praeter metallarios, qui e Germania emigraverant, fossores quoque Hungarici et Bohemici commemorantur. Ceterum adjudicare nolumus, jus metallicum in Germania expolitum esse et perfectam formam capere coepisse et *profecto sine dubitatione dici potest, jus metallicum apud Germanos, veluti renatum atque ad rationem revocatam, Germanicum jus factum esse.* Nam antiquae metallicorum consuetudines XIII[i] post Christum natum saeculi, quarum origo communis inde apparet, quod, eodem fere tempore in diversis terris litteris mandatae, tamen in gravissimis rebus nón discrepant, lineamenta rudimentaque Germanici juris metallorum continent, quae Germanici metallarii in terras vicinas, nempe in Italiam, in Franco-Galliam, in Britanniam, in Hispaniam, in Norwegiam Sueciamque circumferebant. Quibus ex causis etiam intelligi potest, cur praeter artis vocabula Slavonicae originis, quae in ore et lingua metallicorum versantur, jam in illarum terrarum antiquis litterarum monumentis atque syngraphis, ad rem et jus metallicum spectantibus, etiam tam permulta vocabula artis nominaque Germanicae originis inveniantur, praesertim, quum Germanicos metallarios illas antiquas metallicorum consuedutines primum litteris mandasse, maxime verisimile sit †).

VI. *Continuatio. Metallicae leges XIII[i] saeculi*).* Maximi momenti ad Germanicam rem metallicam illa celebrata Hungariae metalla Schemnitzensia erant, quae ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem adversus magnas innumerabilium bellorum calamitates semper floruerunt et exercita sunt. Hic etiam metallicorum consuetudines atque jura, quae ex antiquissimis temporibus apud metallarios Hungaricos valebant atque semper in usu erant, principio XIII[i] post Christum saeculi, Bela IV auctore, memoriae et litteris mandata sunt. Leges gravissimae

---

1) Confer: Achenbach, das Französische Bergrecht. Zeitschrift für Bergrecht von Brasset und Achenbach tom. 1. p. 153 sqq. Köln 1860.

†) Cfr. Additament. A.

*) Cfr: Schmid, Ueber das Alter des Iglauer Bergrechts und die erste deutsche Urkunde darüber. Archiv für Bergwerksgeschichte, Bergrecht, Statistik und Verfassung tom. II. Altenberg 1829. — Jus Schemnitzense invenies perscriptum apud Wagner l. c. p. 165 sq. — Iglavense apud Sternberg l. c. p. 17 sq. — Kuttenbergense apud Peithner et Schmidt l. c. — Fribergense apud Klotsch l. c. p. 221 sq. — Goslariense apud Wagner l. c. p. 1022. — Tyroliense apud Sperges l. c. p. 198 sq. — Schladingense apud Lori l. c. p. 4. — Admontense apud Wagner p. 31. — Silesicum jus aurifodinarum apud Steinbeck l. c. tom. I. p. 79 sqq.

hujus Schemnitzensis juris metallorum codicis, quod e jure consuetudinis compositum est, in omnibus fere antiquis pactis et literarum monumentis, quae ad metallorum jus spectant, verbis paene ipsis repeّriuntur. Pagus autem, unde metallicorum consuetudines in Germaniam transgressae sunt, Iglavia fuisse dicitur, quod oppidum metallis celeberrimum erat. Memoriae enim traditum est, olim a metallariis Schemnitzensibus metallorum jura atque consuetudines, in Hungaria vigentia, in Moraviam introducta, nec ita multo post, Iglaviae memoriae et litteris mandata esse. Ita etiam perspicuum est, cur legum series in Iglavensi metallorum jure a Schemnitzensi plane diversa sit, et cur in Iglavensi jure nonnullae leves legum commutationes, loco accommodatae, inveniantur [1]). E Moravia illae metallicorum consuetudines in Bohemiam et Saxoniam perferebantur et denique in tota Germania et etiam in vicinis terris vim et auctoritatem accipiebant. Nam metallorum jus Kuttenbergense et Fribergense e Iglavensi haustum est [2]), et XIV° etiam saeculo post Christum, anno 1363, comes Fridericus Nurembercensis a Kuttenbergensi civitate jus Iglavense arcessivit, ut illud Cronacensibus fodinis donaret. Atque etiam jus Fribergense pacto Culmensi, anno 1232, in Borussiam translatum est [3]). Immo vero etiam in Italiam illae metallicorum consuetudines translatae sunt a Germanicis fossoribus, qui in Toscanam, ad vetustas, sed jamdiu intermissas cuprifodinas Etruscas recolendas, XII° post Christum saeculo arcessiti erant. Hic quoque principio XIII[i] saeculi, in Toscanensi civitate Massae maritimae, illae metallicorum consuetudines litteris traditae sunt sub titulo: «Statuta et ordinamenta civitatis Massae» [4]). Etiamsi in Toscanensi jure metallorum componendo vis atque auctoritas jurisconsultorum Italicorum non negari potest, tamen praeter axiomatum gravissimorum affinitatem jam permulta artis vocabula, quae in ore et lingua metallicorum Germanicorum versantur et etiam nomina Germanica, fontem atque originem Germanicam significant, neque impossibile est, has metallicorum consuetudines e Tyrolide meridionali in Italiam pervenisse. Enim vero in Tyrolide metallicorum jura atque consuetudines remotis jam temporibus conscripta esse, illa Tridentia metallicorum pacta, quae antiquissimae juris metallici perscriptiones nobis traditae sunt, docent. Prima autem mentio metallicarum consuetudinum in pacto continetur, quod anno 1185 post Christum natum inter Albertum episcopum Tridentinum et inter argenti fodinarum Tridentinarum socios factum est. Praeter metallorum

---

1) Cfr. Karsten l. c. p. 14 sq. — 2) Cfr. Klotsch l. c. p. 82. — Sternberg l. c. tom. II. p. 14 sq. — 3) Cfr. Kretschner, Die Kulmer Handfeste 1832.

4) Hoc autem metallorum jus Toscanense publicatum est in Archivio storico italiano — dispense XLIII 1853 secundum codicem quemdam manuscriptum Florentinae bibliothecae publicae.

jus Tridentinum, quod jam anno 1208 Fridericus episcopus composuit sub hoc nomine: «Carta laudamentorum et postarum episcopi, facta in Arzenterie«, complura quoque scabinorum metallicorum judicia, quorum unum anno 1213 jam factum est, nobis tradita sunt [1]). Tametsi autem Tridentinum jus metallicum primum litteris mandatum esse verisimile est, tamen, ne sententias illius et ceterorum antiquorum jurium metallorum semper easdem esse praetermittam, jam illis temporibus metallarios Germanicos in Tyrolidem meridionalem pervenisse permulta Germanica nomina atque artis vocabula significant Jus Goslariense metallicum [2]), anno 1186 compositum, nobis non traditum est. Anno 1271 denuo, duce Alberto, consuetudines metallariorum Hartzensium in lucem prodierunt titulo inscripto: «Jura et libertates sylvanorum.» Noricum metallicum jus, et in charta a. 1308 scripta, quae antiquum consuetudinis jus metallicorum Schladingensium exhibet, et in jure Zensingensi vel Admontensi metallico, quod jam principio XIII[i] post Christum saeculi vigebat, invenimus compositum. Antiquum aurifodinarum Silesiae jus, quod anno 1232 jam pactum Culmense commemorat, in codicibus Löwenbergensi et Goldbergensi principio XIV[i] saeculi compositis, nobis traditum est †).

VII. *Continuatio.* Omnibus his antiquis legibus metallicis et libera operis metallici exercitatio et jus primi inventoris confirmatur, ita ut quivis jus et potestatem metallorum indagandorum haberet et primus inventor a metallorum praefecto aut magistratu donationem fodinae repertae petere posset. In metallicorum jure Schemnitzensi praeter illum metallorum praefectum etiam comitis metallorum mentio fit, qui procurator regis erat et illius metallorum apud Theodosianum et Justinianeum codicem nos commonefacit. *Ceterum jus quoddam regale in his antiquis legibus metallicis non invenitur*, sed respublica tantum jura quaedam majestatis, quae in fodinis donandis, in vectigalibus exigendis, et in administranda cura publicae securitatis metallorum consistebat ad se vindicabat. Vix autem explicari potest, quomodo haec axiomata et sententiae metallorum libertatis, quae in illis antiquis legibus inveniuntur, in Germania, ubi enim quisque possessor jura proprietatis acerrime defendebat, inveterascere potuerint. Verum enim vero, uti vetusti juris Romani axiomata quodammodo temperabantur, quum in Graecia metallicum Graecorum jus, quod ad statum conditionemque rerum et ad propriam naturam subterraneae proprietatis illic accommo-

---

1) Cfr. Sperges l. c. p. 198 sq. — 2) Cfr. Schaumann, Die Goslarschen Berggesetze des 14. Jahrhunderts. Hannover 1842.

†) Cfr. Additam. B.

datum erat, offenderet, sic etiam antiquorum Germanicorum jus illis sententiis, quas consuetudo metallicorum proposuerat, ubi in eas incidit, vigore cedere necessitas erat. Tanto potius autem principes Germaniae illis sententiis adhaerescebant, quanto libero opere metallico viam atque rationem et ad propriam auctoritatem potestatemque et ad publicam salutem augendam invenerunt. Nam principes, quum metalla prosperarent atque crebrescerent, non solum vastas desertasque terras magna multitudine colonorum implebant, sed etiam ipsi magnas opes et divitias e metallis hauriebant. Quibus ex causis factum est, ut metallicorum coloniis, nuper deductis, maxima beneficia atque privilegia, nempe, ut nonnulla enumerem, immunitatem vectigalium et tributorum, vacationem militiae, propriam jurisdictionis potestatem, jus lignorum caedendorum, aliaque jura libertatesque, donarentur. Quid igitur mirum, quod ubique locorum, ubi nova metalla instruebantur, mox multitudo colonorum, et non solum metallariorum, sed etiam opificum mercatorumque affluebatur atque ita, quum illa metalla diu vigerent, fundamenta permultorum oppidorum vicorumque posita sunt, quae postea opibus divitiisque florebant †).

VIII. *Continuatio.* Disputando jam ad eam aetatem advenimus, qua praeter libertatem operis metallici etiam contraria sententia nasci coepit et jus quoddam regale metallorum a Germaniae principibus postulatur. Principes enim Germaniae jura majestatis, nimirum jus fodinarum donandarum, vectigalium exigendorum et curae publicae securitatis metallorum administrandae, (quae in illis metallicorum antiquis legibus reipublicae magistratibus adjudicabantur), detorquendo interpretari conabantur, ut illa majestatis jura nihil aliud significarent, nisi proprietatis jus omnium fossilium subterraneorum, quod regionis principi atque domino semper et ubique fuisset. Sed primo illud conamen, contra proprietatem fundi domini directum, non semper cessit, quia ubique locorum contra tale propositum non solum domini fundi exardescebant, sed etiam imperator nomine summi imperii totius territorii jus quoddam regale metallorum ad se solum vindicabat. Exemplum ejus rei Albertus, episcopus Tridentinus, qui cum corpore metallariorum, in territorio episcopali argentifodinas exstruentium, in controversiam descendebat. Inde pugna tam vehemens facta est, ut imperator Fridericus Barbarossa, partibus se inserens, suam auctoritatem interposuit. Quo facto controversiae ita compositae sunt, ut episcopus Albertus cum metallariis constitutum metallicum iniret et anno 1189 ejus successor, Conradus episcopus, ab imperatore illas fodinas in perpetuum feudum

†) Cfr. Additam. C.

acceperit [1]. Germaniae enim imperatores, qui sese justos principum Romanorum successores esse putabant, etiam praerogativas atque jura, sive vera, sive dubia, Caesarum ad se vindicabant et Romani juris consulti illius aetatis non modice ad talia postulata perducenda adjuvabant. Jus autem metallorum regale, quod jurisconsulti ad regem vindicabant, simul etiam id efficere videbatur, ut tenues pecuniarum reditus atque opes imperiales augerentur. E contrario Karsten putat [2], libertatem operis metallici et fodinae donandae jus e contractu, quem olim fundi possessores, publicae utilitatis causa perducti, et cum metallariis, et cum civitate, sub certis conditionibus fecissent, ducendum esse; denique his ex causis in civitate feudali dicit sensim et paullatim jus metallorum regale ortum esse. Quae tamen opinio non solum longe audacissima est, sed etiam historia confirmari plane non potest. Nam alicujus juris origo atque incrementum philosophiae naturalis doctrinis probari prorsus non potest, sed historica ratione solum, quum facta historica omnia, quae ad illud jus pertinent, indagemus atque persequamur. Origo autem et juris metallorum regalis et liberi operis metallici incerta est, sicut hoc semper juri consuetudinis contigit, quoad paullatim et sensim crescens, lineamenta ejus denique ex historia emergunt. Nostrum igitur est, quum historiam juris regalis metallorum scribimus, rudimenta illius juris, ubicunque terrarum sunt, etiam in vicinis terris, a prima aetate indagare et crescentia persequi. Sed ut jus metallorum regale apud Germanos accuratius examinare et cognoscere possimus, prius nos ad historiam Germanicam respicere oportet †).

IX. *Continuatio.* Metallorum jus regale potissimum ex amplitudinibus, ad summum reipublicae imperium utique pertinentibus, praecipue autem e jure fiscali vectigalium (quod jus et in jure Romano, sicut jam vidimus, et in antiquis metallicorum legibus, jure consuetudinis compositis, exstabat) ortum esse, jam supra ostendimus. Jam Carolus Magnus, cujus temporibus, et in Gallia, et praeter Rhenum et Moenum, diu intermissa metalla recoli coepta sunt [3], nonnulla praescripta ad rem metallicam spectantia proposuit, sed haec edicta ad metalla fiscalia sola destinata esse videntur. Ita edicto imperiali, anno

---

1) Cfr. Sperges l. c. — 2) Cfr. Karsten, Grundriss der deutschen Bergrechtslehre. Berlin 1828. p. 12 sqq.

†) Cfr. Addit. D.

3) Metallorum in Gallia jam ante Carolum illum (a. 635) cultorum. „Vita Dagoberti" cap. 40 mentionem his verbis facit : „Plumbum quod ei *ex metallis* censitum in secundo semper anno solvebatur, libras octo mille ad cooperiendam ecclesiam contulit." — Apud Moenum fodinas ferri, argenti, auri, nec non et cupri apud Rhenum fuisse, Othofredus Wissemburgensis, monachus, auctor est. Cfr. Des Mönches Ottfried von Weissenburg Evangelienbuch I, 1, 69—75. ed. Dr. Kelle. Regensburg 1856. tom. I. p. 20.

812 proposito (quod vulgo «Capitulare de villis imperialibus» nominatur), in articulo 28 magistratus imperiales quotannis de fructibus argentifodinarum imperatori nuntium afferre, et in articulo 62, quotannis diligenter et accurate confectis indicibus redituum aerarii, qui e diversis rebus in toto imperio redirent, cum ex aliis vectigalibus, tum ex iis, quae ex ferri et plumbi fodinis traherentur, imperatori transmittere jussi sunt [1]). Etiam in Charta prioris inter Lotharium, Pippinum, Ludovicum, Ludowici Pii filios, divisionis imperii, anno Christi 817 facta, in articulo 12 mentio fit e metallis redituum [2]). Sed in his locis de jure quodam regali metallorum, quod nos jus metallorum regale hodie appellamus, non sermonem esse, omnino patet, quum in illis capitularibus instructio tantum magistratuum de redituum imperialium indicibus conficiendis contineatur, et syngrapha de prima divisione imperii Ludovici Pii ad fodinarum reditus solum spectet. Quid autem mirum, quod temporibus Caroli Magni metalla omnia jam vectigali subjecta sunt, quum nonnulla metalla e Romanorum usque ad Caroli Magni aetatem, praecipue autem in Gallia meridionali, integra semper permansisse ac floruisse, atque etiam in hisce terris Romani juris leges de metallorum vectigali exigendo, de decima, de canone metallorum, usque adhuc valuisse, non incredibile sit. Ceterum jam ante Carolingorum aetatem metallorum exercitatio veluti fundi usus existimabatur, ut e formularum libris, praecipue autem e Marculfi monachi formulis, anno 660 conscriptis, patet, in quibus fossilia metallaque, ut aurum, argentum, alia, ad fundum pertinentia enumerantur [3]). Hoc semper ita usque ad finem XI[i] post Christum saeculum ubique locorum in Germania fuisse longa serie litterarum monumentorum, quam Hüllmann l. c. p. 62 sq. composuit, probari potest.

Semper igitur fossilia subterranea secundum vetustum Germanorum

---

1) — §. 28. Volumus, ut per singulos annos intra quadragesima, dominica in palmis, quae Ossanna dicitur, juxta ordinationem nostram *argentum de nostro laboratu,* postquam cognoverimus de praesenti anno quanta sit nostra laboratio, deferre studeant ..... § 62. Ut unusquisque judex per singulos annos ex omni conlaboratione nostra, quam cum bubus, quos bubulci nostri servant, quid de mansis, qui arari debent, quid de sogalibus, quid de censibus ..... *quid de ferrariis et scrobis, id est, fossis ferrariciis vel aliis fossis plumbariciis* ... habuerint, omnia seposita, distincta et ordinata ad nativitatem Domini nobis notum faciant, ut scire valeamus, quid vel quantum de singulis rebus habeamus. Cfr. Pertz mon. tom. III. leg. tom. I. p. 381. — Walter, Corpus juris Germanici tom. II. p. 132.

2) — § 12. De tributis vero et censibus vel metallis quidquid in eorum potestate exigi vel haberi poterit, ipsi habeant, ut ex his in suis necessitatibus consulant et dona seniori fratri deferendo melius praeparare valeant." Cfr. Pertz l. c. p. 198. — Walter l. c. p. 309.

3) Cfr. Marculfi monachi formularum libri duo (Walter, corpus jur. Germ. tom. III. p. 285—580). Legas l. II, form. 15 Appendix Marculfi form. 37. — form. 39. Conf. etiam: Formulae Sirmondicae form. 14, 15, 17. — Formulae Lindenbrogii form. 72. — Formulae Baluzianae form. 7—28.

jus ad fundum pertinebant et fundi proprietarius in fundo suo solus potestatem metallorum caedendorum habebat, nisi alii hanc potestatem voluntarie cesserat. Illo autem temporis spatio, quod inter Carolingos et Habsburgicos exstat, quibus temporibus feudalis reipublicae forma magis magisque inveterascebat, sensim et paullatim conversio omnium rerum, tam publicarum, quam privatarum, facta est. Quum enim regis procuratores ceterique magistratus imperii, qui praedia et bona publica regis nomine administrarent, missi, sensim possessionem illorum invaderent, reditus imperiales in dies ita diminuebantur, ut denique imperatores, ad impensas sustinendas, permultis bellis factas, imperii praedia, oppida et ipsam monetam et vectigalia, alia post alia, oppignerare cogerentur [1]). Qua ex causa, quum ad nihilum redacti essent pecuniarum reditus, imperatores omnia moliri debebant, ut novas vias ac rationes inirent, quo auctoritatem et opes suas augerent, si stabili ac digna manu gubernacula imperii tenere volebant. Imperatores enim in jure Romano, tunc denuo increscente, niti studebant, et magni Italiae jurisconsulti eos in hoc studio enixissime juvabant, quorum auctoritate etiam in Germania jus Romanorum magis magisque pervulgabatur. Non parvum quoque adjumentum ad auctoritatem regalem augendam inveniebatur in illis antiquis metallicorum consuetudinibus, quae sub finem XI[i] saeculi in Germania propagabantur, principio autem XIII[i] saeculi jam fere ubique locorum valebant; praesertim quum jus vectigalium metallicorum exigendorum et nonnullae aliae civitatis amplitudines in illis regi adjudicarentur. Atqui, quum imperatores illas metallorum amplitudines, utique ad civitatis imperium pertinentes, in jus quoddam regale, hoc est, in fiscalem proprietatem subterraneorum fossilium, convertere conarentur, ad Romanos principes tanquam praedecessores suos provocantes, fundi possessores hanc sententiam acerrime impugnabant et quum principes quoque feudales ceterique imperii Germanici status hanc praerogativam ad se vindicarent, imperatores denique non poterant, quin, libertate operis metallici confirmata, principibus feudalibus in eorum territoriis etiam metalla in feudum darent †).

X. *Continuatio. Incrementum juris regalis metallorum.* Jam Henricus quartus, imperator, cui non adulto imperii principes fructuosissimos imperii reditus abalienaverant, ad opes regales augendas, consilium cepisse videtur, secundum superioritatem territorialem jus quoddam regale metallorum exstans ad regem vindicare. Exstat enim syngrapha, qua imperator anno 1064 Friderico cuidam, comiti

1) Cfr. Eichhorn l. c. § 295.
†) Cfr. Addit. E.

palatino, «ob petitionem» ejus jus salinarum coquendarum in oppido Thuringensi Sulza, *quae tamen ad praedium hereditarium comitis pertinebat,* concessit [1]). Illis autem temporibus, quibus Henricus IV. regnavit, ars metallica, mercatura, atque omnes artes florere coeperunt. Qua de causa illa regis interpellatio in jura privatorum quoquo versus displicebat. Etenim durissima illa verba principum Saxonicorum in litteris, qua apud Gregorium VII. papam a. 1079 queruntur, jam significant, imperatorem rapina potius jurium et libertatum civium, quam reditibus imperialibus sustentari [2]). Ex hoc autem tempore in dies saepe factum est, ut imperatores metallifodinas salinasque ad fiscum imperialem vindicarent et jus metallorum instruendorum ad regalia numerarent. Ita Henricus V. imperator in charta donationis, quam anno 1122 Siegburgensi ad S. Michaelem Benedictinorum coenobio, in Coloniensi archidiocoesi sito, fecerat, metalli caedendi potestatem „*jus regium*" appellat [3]). Lotharius III. imperator anno 1131 ecclesiae Basileensium episcopali argentifodinas ab imperatore Conrado II. *jam anno 1028 ei donatas* et anno 1073 ab imperatore Henrico IV. novo privilegio praeditas sanxit [4]). Conradus III. autem, imperator, anno 1150 Wicboldo,

---

1) Cfr. Zachariae l. c. p. 344. Locus syngraphae huc pertinens hicce est: — — nos ***ob petitionem*** et fidem et frequentia servitia Friderici, palatini comitis, ***in loco haereditatis suae,*** Sulza dicto, in pago Thuringiae, in comitatu Ottonis marchionis sito, liberum exerceri mercatum permisimus eo jure, in omnibus sc. monetis, teloneis, omnique regali districtu atque eidem fideli nostro in proprium tradito, quo solent et debent mercaturae institui atque donari. Insuper ***rogatu ejusdem palatini comitis cocturam salis ibi concessimus.***" (Pfeffinger l. c. tom. III. p. 1447. — Böhlau l. c. II. Spicil. n. 35a.

2) — — tanta profligatio regalium, ut posthac reges nostrarum partium rapinis protinus, quam regalibus sustentandi sunt." — Invenies litteras Saxonum ad Gregorium VII. in Brunonis de bello Saxonico libro. (Pertz, monumenta tom. V. p. 371—372.) Cfr. etiam Hullmann l. c. p. 65.

3) Locus syngraphae, quam apud Lacomblet, Urkundenbuch zur Geschichte des Niederrheins tom. I. no. 294 invenies, hicce est: — — Abbati Cunoni ejusque successoribus et monachis, qui in coenobio Siegebergensi militant, ei soli dictante caritate concedimus et praesentis cartae testimonio confirmamus, ut si quid metalli vel pecuniae ***in ullo possessionum ipsorum fundo sive loco*** tellus quaerentibus exposuerit ex his, quae avaro sinu multa nobis abscondit, juris ipsorum sit nec molestus quisquam sit: illis ***pro jure regio, quia quod ad Nos attinet,*** donamus tanquam carnale, ut bona ipsorum spiritualia meteamur metere." Cfr. Pfeffinger l. c. tom. III. p. 1447.

4) Cfr. Böhmer, regesta imperii a. 911—1313 Francofurt. 1831. p. 110. Invenies has syngraphas apud Hergott, Genealogia diplomatica gentis Habsburgicae. Viennae 1737. tom. II. p. 109, 124, 156. Quarum syngrapharum prima, sequentibus confirmata, hisce verbis loquitur: Conradus, divina favente clementia Rom. Imp. Aug. etc. Ideo omnibus Christi fidelibus nostrique fidelibus, presentibus scilicet et futuris, notum esse volumus, qualiter nos pio interventu dilectae conjugis nostrae Gyselae videlicet imperatricis atque carissimi filii nostri, Heinrici regis, nec non domini Odalrici, sanctae Basiliensis ecclesiae venerabilis episcopi obtemperantes petitioni, quasdam venas et fossiones argenti ***in comitatu Bertholdi*** et in pago Brisichowe atque in locis Moseberch, Luperheinhaha, Cropach, Steinebronnen, superius et inferius et in valle Sulzberc, Baden, Luxberc nominatis, aliisque inibi locis inventas et sitas, ***quicquid inde nostrum jus attingit,*** cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire queat, ecclesiae suprascriptae contulimus et in perpetuum tradidimus..... Datum in Pollingen anno Dom. Inc. MXXVIII.

Corbejensi abbati, facultatem metallorum instruendorum tribuit in monte Eresberg, qui etiam proprietas Corbejensis ecclesiae erat, ita, ut ille abbas et successores ejus jus et facultatem in territorio supradictae ecclesiae suae habeant aurum, argentum, cuprum, plumbum, stannum et omne metallum fodiendi et conflandi [1]). Paullatim propulsatio illius sententiae juris cujusdam regalis metallorum semper rarior atque tenuior facta est, praesertim, quum plerumque imperatores in permissione artis exercendae metallorum tribuenda acquiescerent, ita ut denique principes feudales ceterique imperii status magis magisque ab imperatore fodinarum salinarumque instruendarum in territoriis suis licentiam peterent. Imperatores autem eo liberaliores, largioresque erant in illis permissionibus tribuendis, quo plures amici assectatoresque ita sibi comparare poterant. Potissimum autem Hohenstuffiorum aetate, qua potestas et auctoritas imperialis summum culmen assecuta erat, imperatores jus metallorum regale constanter et strenue ad se vindicaverunt. Hillinus, episcopus Trevirensis, jam antea metalla ex auctoritate sua sibi arrogaverat, Friderici I. autem diplomate, anno 1158 facto, in feudum ea accipere coactus est [2]). Ita quoque anno 1156 Fridericus Barbarossa «imperiali auctoritate» coenobio Berchtesgadensi salinarum fodinarumque in proprietate et fundo coenobii instruendarum permissionem dabat [3]). Tridentinae quoque ecclesiae, controversiis inter episcopum

---

1) Conradus, Dei gratia Romanorum rex, tertius, Wicboldo, Corbejensi, abbati suisque successoribus, regulariter ordinatis, in perpetuum venas metalli, videlicet auri, argenti, cupri, plumbi et stanni et omnem pecuniam, sive rudem, sive formatam, quae intra montem Eresburg, ***qui Corbejensi ecclesiae jure proprietario pertinere noscitur,*** latet, tibi et per te Corbejensi ecclesiae concessimus, damus et praesenti scripto confirmamus, ut liceat tibi et successoribus tuis absque ullius personae contradictione in eodem monte fodere omne metallum, quod inventum fuerit, eruere et conflare, tuisque et fratrum tuorum usibus licenter aptare, ut tanto melius possit Corbejensi ecclesiae tam divinis quam regni rebus subservire. Data est hoc monimenti cartula apud Wirzeburg anno dominicae incarnationis 1150, Indictione 13a, propter fidele suprascripti abbatis servitium" Cfr. Seibertz, Urkundenbuch zur Landes- und Rechtsgeschichte des Herzogthums Westphalen: Arnsberg 1839 Bd. 1 n. 51. p. 67.

2) Locus syngraphae huc pertinens, hicce est: — — Scire volumus, qualiter dilectissime nobis Hilline Trevirorum archiepiscope apostolicae sedis legate, omnem justitiam, ***quam in argentaria in Vlmeze et in toto monte adjacente de judicio principum habere videbamur,*** tam pro animae nostrae remedio quam pro amore tuo et honesto fidelique servitio, quod nobis, in expeditione Italica et post, liberabiliter et laudabiliter impendisti, tibi et per te tuis successoribus ***eum ceteris regalibus in beneficio*** libere habendam concessimus et in perpetuum legitimo titulo possidendam nostra imperiali auctoritate sancire decrevimus. Nihilominus quoque ***de munificentia imperii,*** si aliquam forte postmodum in aliquo fundo ecclesiae tuae inveniri contigerit argentariam, ***qaidquid juris in ea habere debemus,*** tibi tuisque successoribus legitime contraditum eodem modo in perpetuum confirmamus. Invenies syngrapham apud Hontheim, historia Trevirensis diplomatica tom. I. p. 583 Aug. Vindel. 1750.

3) Locus syngraphae, huc pertinens hicce est: — — ipsum forestum cum omni jure suo jam dicto coenobio ***imperiali auctoritate donantes*** confirmamus, hoc pietatis studio addentes ut si qui ejusdem loci fratres in salis vel cujuslibet metalli subterraneis venis ***inter terminos ipsius foresti vel in quolibet ecclesiae suae fundo*** invenire aut elaborare po-

et metallarios et inter episcopum et imperatorem compositis, idem imperator Fridericus anno 1189 metalla privilegio confirmavit, sed hac monitione adjecta, quod et antiqui juris et consuetudinis auctoritas argentifodinas omniaque metalla, quae intra imperii fines reperirentur, juri regali adjudicaret [1]). Sed acerrime et gravissime etiam Henricus VI., Friderici illius successor et filius, jus metallorum regale ad se vindicavit, quum in litteris, ad Mindensem, Paderbornensem et Osnabrugensem episcopos datis, aperte dicat, *quia omnia metalla ad jura imperii pertineant et semper inter regalia computata sint*, illas etiam argentifodinas, nuper (a. 1189) in episcopatu Mindensi repertas, *ad solam regis distributionem* sine ullo dubio *totaliter pertinere neque quemquam metalla instruere posse, nisi ille hoc jus ab imperatoris liberalitate impetraverit* [2]). Distinctius profecto jus regale metallorum vindicari non potuit, quam his expressis verbis. Nam hoc loco de fodinis agitur non in fundo fiscali, sed in fundo privato sitis et sine fuco asseveratur, nemini sine imperatoris permissione metallorum instruendorum jus esse. Non ita multo post idem imperator litteris anno 1190 scriptis «regali

---

tuerint, firma ejus eorumque successoribus et illibata omni tempore permanente etc. Cfr. Pfeffinger l. c. tom. III, p. 1447.

1) — — Universis itaque Christi et imperii fidelibus praesentibus et futuris notum fieri volumus, quod ***perseverante actione nostra*** de argentifodinis apud episcopatum Tridentinum, quas ***juri nostro tam ibi quam in aliis nostri imperii finibus repertas antiqui juris et consuetudinis celebritas adjudicavit***, Dei intuitu et respectu honestatis dilecti nostri Conradi Tridentini episcopi ad preces et laudabilem ejus devotionem ***argentifodinas*** in ducatu Tridentino episcopatuve, ***quae nunc sunt, vel quae in posterum, argenti, cupri, ferrive, omnisque metalli ibidem reperientur*** praeterquam in allodiis comitum de Tyrolis et Epianno, quae specialiter duximus excipienda, ecclesiae Tridentinae ***imperiali*** largitione tradimus ac praesentis privilegii nostri tenore et auctoritate praesenti episcopo et suis successoribus perpetuo confirmamus. Statuimus igitur, et ***imperiali*** sanctione decernimus, ut praedicta ecclesia hac detentione quiete perfruatur et nullam prorsus inde sustineat vexationem nulla omnino persona, humili vel alta, saecularis vel ecclesiastica, in ea vim vel injuriam ei ausu temerario inferre praesumat." — Invenies hanc syngrapham apud Sperges l. c. p. 265. Cfr. Pfeffinger l. c. tom. III. p. 1448. — Böhmer regesta imperii tom. I. n. 2713.

2) Cfr. Zachariae l. c. p. 349. Invenies autem hanc gravem syngrapham apud Pfeffinger l. c. tom. III. p. 1448 hisce verbis: Henricus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus fidelibus suis episcopis Mindensi, Paderbornensi, Osnabrugensi, comitibus quoque et nobilibus et universis hominibus in eisdem episcopatibus constitutis gratiam suam et omne bonum. ***Quum omnis argentifodina ad jura pertineat imperii et inter regalia nostra sit computata,*** nulli venit in dubium, quin ea, quae nuper in episcopatu Mindensi dicitur inventa, ***ad nostram totaliter spectet distributionem***, unde in ea ***nulli homini*** quicquam juris recognoscimus, ***nisi hoc a nostra liberalitate valeat*** specialiter impetrare. Mandamus igitur vobis et singulis sub obtentu gratiae nostrae praecipientes, ***ut nullus vestrum se de praedicta argentifodina intromittat nec aliquid juris sine nostra licentia sibi in ea usurpet.*** Quod si quis temerario ausu forte attentaverit, indignationem nostram se noverit incursurum. Puntium autem, laborem fidelem, nuntium nostrum, ad partes illas transmisimus, ***ut de eadem argentifodina ordinet et deponat prout nobis videtur expedire.*** Mandamus itaque delectioni vestrae attente rogantes, ut ei consilio et auxilio fideliter assistatis, grates affectuosas a serenitate nostra recepturi. Datum apud Nonnensteine XII Cal. Apr.,

auctoritate» praecipit, ut duae partes redituum ex illis fodinis ecclesiae Mindensi cedendae sint, tertia vero pars totius fodinae fructus sibi tradatur [1]. Conrado, episcopo Osnabrugensi, denique anno 1235 contigit, ut Henricus (VII.) rex sibi argentifodinas in praedio ecclesiae suae sitas sine ulla conditione in perpetuum feudum tribueret [2]. Hoc loco bene considerandum est, illas chartas ad territoria in media Germania sita spectare, ut hoc loco, sicut rectissime Zachariae l. c. p. 349 dicit, imperatores metallorum jus regale in territoriis tantum jure Franco praeditis, ad se vindicasse, recte statui non possit. Anno 1193 Henricus VI. imperator Corbejensi monasterio jam a. 1150 a Conrado III. donatas fodinas novo privilegio sanxit [3]. Ut Fridericus I. Tridentino episcopo, ita quoque Henrico, Brixensi episcopo, a. 1189 metallorum instruendorum licentiam tribuerat, sed dimidiam partem metallorum fructuum sibi vindicaverat [4]. Imperator Philippus Conrado, Brixensi episcopo, a. 1206 metallorum instruendorum permissionem concesserat [5]. Eidem episcopo a. 1214 Fridericus II. imperator fodinarum instruendarum concessionem tribuit, sed hac conditione, ut imperatores fodinarum fructuum dimidiam partem caperent [6]. Anno 1218 autem

---

1) Locus gravissimus hujus syngraphae hicce est: Quum igitur argentifodina, quae est in episcopatu Mindensi constituta, ad jura pertineat imperii et inter regalia nostra sit computata notum fiere volumus universis imperii fidelibus, praesentibus et futuris, quod nos fideli nostro episcopo Mindensi et ecclesiae suae, nec non et omnibus successoribus suis, in perpetuum concessimus et regali auctoritate confirmamus duas partes ejusdem argentifodinae et totius fructus sive juris exinde provenientis, sive ex decima, quae in aliis locis recipi solet, sive ex jurisdictione vel judicio, vel alio quocunque modo proveniat, nobis totaliter et integre salvam esse volumus et quietam conservari." Cfr. Pfeffinger l. c. tom. III p. 1448 sq. — Pistorius, rerum Germanicarum scriptores tom. III p. 829.

2) Henricus, Dei gratia, Romanorum rex et semper augustus, universis imperii fidelibus, praesentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Ad notitiam singulorum volumus pervenire, quod nos intuitu devotionis, quam ad Nos habet dilectus princeps noster, venerabilis Osnabrugensis episcopus, locum argentifodinae in praedio ecclesiae, quae quod Huyl et Sterbrinke vulgariter appellatur, sibi et suis successoribus et ecclesiae Osnabrugensi cum omni jure et integritate ac suis pertinentiis titulo contulimus feudali et eorum perpetuis usibus deputamus, ut igitur concessio nostra ipsi episcopo et suis successoribus ac ecclesiae commemoratae rata permaneat et inconvulsa, praesentem paginam inde conscriptam appensione sigilli nostrae celsitudinis fecimus communiri. Datum apud Oppenheim anno Dominicae Incarnationis 1235° Cal. April. Indict. 8a. — Invenies hanc syngrapham apud Möeser, Osnabrücksche Geschichten tom. III u. 168 p. 307. Cfr. etiam de hujus donationis historia Moeser l. c. tom. III p. 111.

3) Invenies syngrapham apud Martene, Monum. veterum tom. I. p. 1002. — 4) Cfr. Böhmer, regesta imperii I n. 2716. — 5) Cfr. Böhmer, regesta Philippi n. 83.

6) — — Intelleximus, quod in quibusdam partibus Brixensis episcopatus reperiantur quaedam argentifodinae. — — Nos autem de consueta regalis benevolentia attendentes merita .... concedimus ipsa Conrado episopo et successoribus suis, ut ipse ad suam et ecclesiae suae utilitatem in illis argentifodinis argentum fodi faciat et exquiri *secundum concessionem ipsi episcopo a felicis memoriae divi patrui regis Philippi liberalitate factam...* Damus etiam licentiam et auctoritatem praefato episcopo et suis successoribus, ut ipsi... ubicunque in episcopatu suo in visceribus terrae valeant reperire, fodinam fodiant, *ita*

Bertholdus II., Brixensis episcopus, prospere egisse videtur, ut sibi imperator Fridericus II. illas fodinas sine ullo fodinarum redituum respectu in perpetuum feudum tribueret [1]). Alberto quoque, episcopo Magdeburgensi, anno 1216 Fridericus II. imperator fodinarum instruendarum in territorio ecclesiae Magdeburgensis permissionem tribuit [2]). Eamdem facultatem anno 1232 Henrico, episcopo Missniensi, imperator donavit [3]). Metalla tamen non solum principibus ecclesiasticis et coenobiis petentibus, sed etiam saecularibus comitibus et principibus rogantibus in feudum donabantur. Quare notatu sunt dignae illae litterae, quibus anno 1216 Fridericus II. imperator Popponi, comiti Hennenbergensi, omnia metalla atque salinas, quae in territorio suo invenirentur, in feudum dat [4]), quam concessionem a. 1228 imperator denuo confirmavit [5]). Neque minus Ludovicus, Bavariae dux et Palatinus comes Rheni, a. 1219 omnia metalla, quae in territoriis suis et patrimonialibus, et feudalibus, reperiantur ab imperatore Friderico II. in perpetuum feudum accipit. Tribuuntur enim illi metalla «cum omni jure, inquit imperator, et utilitate ex illis proveniente, quam nos et imperium percipere deberemus» [6]).

---

tamen ut nos in proventibus, si quid inde proveniat, ***secum ad dimidiam debeamus participare.*** — Invenies hanc syngrapham apud Sperges l. c. p. 277.

1) — — Volentes ipsius Bertholdi servitiis respondere pro meritis de innata nobis liberalitatis gratia sibi suisque successoribus in ecclesia Brixinensi concedimus et donamus in perpetuum omnes argentifodinas omnesque venas metallorum et salis, quae in suo sunt episcopatu et de cetero possunt reperiri cum omnibus justitiis et pertinentiis suis possidendas et tenendas." — Syngrapham invenies apud Sperges l. c. p. 277. Cfr. etiam Pfeffinger l. c. tom. III. p. 1449. — Böhmer regesta Friderici II. n. 212.

2) — — Ad haec eidem ecclesiae nostra liberalitate donamus, ut si alicubi in bonis ejus in quavis specie contigerit reperiri metallum, in usum ipsius ecclesiae perpetuo deputetur, adjicientes, ut quaelibet jura, quae saepe dictae ecclesiae a nostris antecessoribus fuerint concessa, libera semper ipsi maneat et quieta." Cfr. Pfeffinger l. c. tom. III p. 1449.

3) — — Attentendes grata et accepta servitia venerabilis Henrici Misnensis episcopi, dilecti principis nostri, quae dudum nobis et imperio fideliter ipse exhibuit et quae in antea melius poterit exhibere de speciali gratia nostra concedimus et donamus ei et ecclesiae suae omne, quicquid in auro vel argento sive cujuslibet metalli genere in fundo proprietatis ecclesiae suae ab hac die in antea de novo contigerit reperiri sive sint aurifodinae sive argentifodinae seu metalli cujuslibet speciei, aquarum etiam decursus, in quibus aurum repertum fuerit eodem jure et eadem speciali gratia suis proventibus indulgemus... adjicientes de majestate nostra Caesarea, quod si fortuna sibi ecclesiae et successoribus suis arridente montana auri et argenti vel cujuslibet alterius metalli contigerit suscitari, monetum auri vel argenti ipse suique successores cudi facere valeant et fabricari. Cfr. Pfeffinger l. c. p. 1458. — Klotsch l. c. p. 310.

4) — — — ***in rectum et perpetuum feudum*** ei concessimus omnes argentifodinas et tam alia quaecunque metalla seu salinae fuerint in terra sua amodo repertae, ut eas ad usum suum convertat et tam ipse quam sui heredes sicut ad imperium et nos spectaret, cum universis proventibus suis ***jure feodali*** teneant et possideant." — Syngrapham hanc invenies apud Schöttgen et Kreissig, diplom. et scriptor. histor. Germ. medii aevi tom. II. p. 538. Friderici II diplom. a. a. 1216. Cfr. quoque Böhmer regesta imperii 1198—1254 n. 171.

5) Cfr. Böhmer regesta Friderici II n. 593.

6) — — Nos attendentes sinceram fidem et devotionem nec non et obsequia, quae dilectus consanguineus noster Ludovicus, dux Bavariae, Pal. com. Rheni, majestati

Similimodo Henricus (VII.) etiam, Friderici II. filius et regni socius, in litteris beneficiariis a. 1229 comiti ab Ortenburg datis, metalla nominat regalia, «quae ad nos et imperium ex antiquo jure approbato pertinere dignoscuntur [1]). Ottoni puero, Brunsvicensium duci, a. 1235 Fridericus II. imperator metallorum Gosslariensium decimas, quae adhuc imperio solvebantur, in feudum donavit [2]). Atque etiam Otto, Missniensis marchio et coenobii Altenzellensis fundator, anno 1185 in litteris, quibus nonnullos vicos, in quorum circuitu argenti venae repertae erant, coenobio denuo abjudicat, confitetur, sibi omnia metalla in marchia sua invenienda ab imperatore et imperio in perpetuum feudum donata esse [3]).

XI. *Continuatio. De constitutione: „Quae sint regalia.“ — Jus metallicum speculorum* *). 1. Jam ex syngraphis, quas supra citavimus, et aliis chartis, quae apud Pfeffinger, Zachariae, Böhlau, Hüllmann, Weiske, Kraut et apud alios auctores compositae sunt, intelligimus, magis magisque, praecipue autem ex Hohenstuffiorum aetate, firmam stabilemque quamdam juris consuetudinem factam esse, ut principes et ceteri imperii status, et ecclesiastici, et saeculares, a rege et imperio metalla et salinas in feudum peterent et acciperent. Imprimis autem sub potentissimo Hohenstuffiorum regno jus regale quoddam metallorum in dies ad imperium vindicabatur et jurisconsultorum Romanorum schola Bononiensis, quae apud omnes homines illius aetatis multum autoritate sua valebat, non minime adjuvabat, ut sensim et paullatim jus regale metallorum

---

nostrae frequenter exhibuit et in antea poterit exhibere, ex mea liberalitate nostra donavimus sibi et haeredibus suis et in rectum feudum concessimus omne genus metalli tam in auro et argento quam in aliis ***quod in terris patrimonii et feudi sui fuerit repertum,*** cum omni jure et utilitate exinde proveniente et quam nos et imperium percipere deberemus.“ Hanc syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1450. Cfr. quoque Böhmer regesta Friderici II. n. 315. — Lori, Sammlung des Bayerischen Bergrechtes.

1) — — omnia fossata auri et argenti sive cujuscunque metalli, quae in terra est et in bonis suis inveniri potuerunt, ***quae ad nos et imperium ex antiquo jure approbato pertinere dignoscuntur.***“ Invenies hanc syngrapham apud Hund, Bayerisches Stammbuch II p. 29. — Cfr. Oelenschläger, Neue Erläuterungen der güldenen Bulle. Frankfurt 1766.

2) Locus syngraphae huc pertinens hicce est: — — „de affluentiori gratia concedentes eidem decimas Gosslariae ***imperio pertinentes.***“ Cfr. Mayer l. c. p. 38, 60 sq.

3) — — Igitur notum sit vobis et universis, tam praesentibus et futuris, quia de nemore, quod est in marchia nostra, a plage Milde fluvii meridiana mansos octingentos, qui franconia lingua lehn dicuntur, ab imperio donari ad hoc ipsum impetravimus . . . Praeterea sciendum, ***quum ab imperio cujuslibet metalli proventum in nostra marchia beneficii jure suscepimus,*** quia in terminis monasterii venae argentariae repertae sunt, cum bonis nostris ex eis absolvimus villas has: Tutendorf, Christiansdorf, Bertholdisdorf.“ Syngrapham hanc invenies apud Klotsch l. c. p. 303.

*) Cfr. Steinbeck, Das Bergrecht des Sachsenspiegels. Zeitschrift für deutsches Recht Bd. XI. Tübingen 1847 S. 251—265. — Böhlau in der Recension: „Schletters, Konstitutionen des Kurfürsten August von Sachsen vom Jahre 1572. Leipzig 1857.“ Kritische Zeitschrift für die gesammte Rechtswissenschaft Bd. 5. Heidelberg 1859 S. 138—146.

firma quaedam juris regula facta sit. Illi enim Romani jurisconsulti, quorum auctoritate jus Romanum renatum est, Germanicum imperatorem justum principum Romanorum successorem appellabant, et quum jus Romanum nimirum ipso jure ubique locorum, ubi imperator regnaret, ratum esset, ex jure Romano novas imperii amplitudines ducere conabantur, quas imperiali potestate contineri Glossatores affirmabant. Imperatori autem illi jurisconsulti imperiales plenitudinem majestatis atque mundi imperium contribuebant et potissimum ex hac aetate reges Germaniae veluti Romanorum imperatorum successores jura antea ignota ex imperiali auctoritate ad se vindicabant, quae quum ad regis tantum officium pertinerent et a rege solo deferri possent, regalia nominabantur. Quare imprimis notatu digna est illa auctoritate sua insignis constitutio Friderici I. a. 1158 composita: «Quae sint regalia» [1]). Qua autem constitutione, illustrissimis juris doctoribus adjutoribus, composita, talia jura atque praerogativae, qualia pristinis regibus nunquam in mentem venerant, ad regem vindicantur [2]) atque etiam jus metallorum regale postulatur, hac scilicet conjectura, hoc loco per vocabulum «argentariae» id, quod per vocabulum argentifodinae (Silberbergwerke), non autem mensae argentariorum (Wechslertische) exponi, quae significatio in hac

---

1) Cfr. l. II. Feud. 56 (Corp. jur. civ. ed. Kriegel. Lipsiae 1865 tom. III p. 871): Regalia sunt arimandiae, viae publicae, flumina navigabilia et ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quae vulgo dicuntur telonia, moneta, mulctarum poenarumque compendia, bona vacantia, et quae, ut ab indignis, legibus auferuntur, nisi quae specialiter quibusdam conceduntur, et bona contrahentium incertas nuptias, et damnatorum et proscriptorum secundum quod in novis constitutionibus cavetur, angariarum parangiarumque et plaustrorum et navium praestationes, et extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis expeditionem, potestas constituendorum magistratuum ad justitiam expediendam, *argentariae*, et palatia in civitatibus consuetis, piscationum reditus et *salinarum*, et bona committentium crimen majestatis, et dimidium thesauri in loco Caesaris inventi, non data opera, vel loco religioso, si data opera, totum ad eum pertinent." Invenies quoque hanc constitutionem apud Pertz Mon. tom. IV leg. tom. II p. 111.

2) Radewicus (de gestis Friderici I imperatoris II, 5) originem hujus constitutionis hisce verbis ennarrat: Habensque quatuor judices videlicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, et in lege doctissimos, legumque in civitate Bononiensi doctores et multorum auditorum praeceptores, cum his aliisque legis peritis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat, disentiebat et terminabat negotia. — — Deinde super justitia regni et de regalibus, quae longo jam tempore seu temeritate providentium seu neglectu regum regno deperierant, studiose disserens, quum nullam possent invenire defensionem excusationis, tam episcopi, quam primates et civitates uno ore, uno assensu, in manum principis regalia reddidere primique resignantium Mediolanses exstitere. Requisitique de hoc jure, quid esset, adjudicaverunt ducatus, marchias, comitatus, consulatus, monetas, telonea, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias *omnemque utilitatem* ex decursu fluminum provenientem nec *de terra* tantum, verum etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisque omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores usus est liberalitate, ut quicunque donatione regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere possit, is etiam nunc imperiali beneficio et regni nomine id ipsum perpetuo possideret. Ex his tamen, qui nullo jure, sed sola praesumtione de regalibus se intromiserant, triginta milia talentorum plus minusve reditibus publicis per singulos annos accessere.

vocabulorum compositione «argentarias et palatia in civitatibus consuetis» probabilis est. Eichhorn quidem argentariae aeque valere ac argentifodinarum decimas vult [1]). Klostermann vocabula «argentariae et argentifodinae» eandem vim habere putat [2]). Salinas tamen jam hoc tempore legaliter ad jus regale vindicatas esse, certo etiam ex constitutione patet, quod quidem salinarum jus regale ante metallorum regale jus exstitisse, semper dictum, sed nunquam comprobatum est. Etiamsi illa constitutio in Lombardia tantum legis instar promulgata est et quamquam non minus incertum est, num post pacem Constantiensem, qua imperator a. 1183 vetustum Lombardiae jus denuo agnoscere et approbare debebat [3]), illa lex rata et legitima esse perrexerit, tamen etiam in Germania illa constitutio magnam auctoritatem consequebatur, quum ex jure consuetudinis Lombardicum feudale jus et feudorum libros, quorum integra pars illa constitutio est, in Germaniam transferrentur. Qua de causa imperatores et posteriore aetate principes quoque territoriales, jus metallorum regale ad se vindicantes non modice ad illam constitutionem provocaverunt [4]) †).

2. Hoc loco aliud hujus temporis monumentum juris paululum commemorare licet. Invenimus enim in *Speculo Saxonico,* quod prima aetate XIII[i] saeculi compositum est, quemdam locum, quem alii alio modo interpretantur. Verba autem illius loci haec sunt: § 1 «al schat under der erde begraven deper den ein pluch ga, die horet to der koningliken gewalt.» — § 2 *silver ne mut ok neman breken up enes anderen mannes gude, one des willen, des de stat is; gift he's aver orlof, de vogedie is sin darover»* [5]). Glossa autem, quae posteriore aetate, qua jus regale metallorum vulgo jam agnoscebatur, composita est et cujus interpretationis auctoritas ob id dubia est, ad hunc locum ita docet: «dat all schat horet in dat rike, dat is war, *ware man schat nimmt vor ercze.»* Speculum Suevicum autem, qui similem locum legibus suis inseruit, habet hancce versionem: «der schaecz under die erd begraebt: § 370: wer schaecz under die erd begrebet tieffer denn ein pfluog gat, der gehoret zuo dem küngliken gewalt, *silver sol nyeman graben auf eines mannes guot on seinen willen, des die stat ist. aber geit er das urlaub, die vogtei ist sein darüber"* [6]). Sed

1) Cfr. Eichhorns l. c. § 362 cum nota. — Radewicus l. c. metalla non expressis verbis, sed *„omnem* tantum *utilitatem de terra provenientem"* in regalibus enumerandis significat.

2) Klostermann l. c. p. 37. † Nuperrime etiam Grüter, Commer et Achenbach opinionem hanc defendit.

3) Cfr. Instrumentum pacis Constantiae § 1 (Corp. jur. civ. ed. Kriegel tom. III p. 888.

4) De vi hujus constitutionis cfr. Zachariae l. c. p. 346 sqq. — Eichhorn l. c. § 362 cum nota. — † Commer, Ueber die Entwicklung des Bergregals l. c. p. 383 sq.

†) Cfr. Addit. F. — 5) Cfr. Sachsenspiegel I, 35 ed. Homeyer Berlin 1862.

6) Cf. Schwabenspiegel ed. Wackernagel Zürich 1840 § 370, ed. Lassberg Tübingen

hoc loco in controversiam descendere nolumus, quae inter viros doctos orta est, num vocabulum «schat», quod in art. 1 l. c. Spec. Sax. I, 35 positum est, idem valeat, quod divites venae metalli, an thesaurum significet. Accipiunt enim «schat» pro metallis praeter glossam: Oehlenschläger [1], Eichhorn [2], Karsten [3], alii, quos Homeyer secutus esse videtur, secundum glossae verba, quae huic articulo subscripsit. Pro thesauro autem accipiunt vocabulum «schat» Jung [4], Zöpfl [5], Böhlau [6], Zachariae [7], Weiske [8], alii. Steinbeck [9] vocabulum «schat» et pro thesauro et pro metallo accipiendum esse putat, ita ut opinari liceat, speculi auctorem voluntarie in hoc articulo dubie scripsisse, ut dubium suae aetatis statum juris metallici notaret. Atqui artic. 2 l. c. diligentius spectemus et hoc ut faciamus Weiske monet, qui hunc locum subtilissime tractavit [10]. Perspicuum enim est, hoc loco sermonem esse de duabus personis, nempe de fundi possessore et de domino feudi «dem die stat is.» Quod si ita est, auctoritate Speculi Saxonici jus regale metallorum confirmari probare possumus, ita ut non necesse sit, nos hoc loco verba facere de artic. 1 loc. cit., ubi evidenter de thesauro solo sermo est. In loco quidem citato Speculi Suevici hae duae personae minus exacte discernuntur. Nemini igitur secundum Speculum Saxonicum I, 32, § 2 metallorum instruendorum jus est, cui dominus feudi, qui semper quoque propter principatum superioritatem quamdam metallicam (Vogtei) tenet, id non permiserit. Sed etiam Lassberg (l. c. p. 258) illum speculorum locum ita accipit, qui in indice alphabetico Speculi Suevici sententiam illius loci sequentibus verbis complectitur: «Bergwerke koennen nicht ohne des Landesherren Erlaubniss angelegt werden, der die vogtei darueber behält» †).

1840 § 197 I. — Speculum Suevicum alio quoque loco § 280—282 ed. Wackernagel (§ 346—347 ed. Lassberg) de hac materia loqui pergit hisce verbis: § 280. ***Der guot findet under erde.*** Swaz der man uf ***sinem*** guote findet under erden ***dacz ist mit rechte sin;*** unde findet ez aber ein ander man, unde deme er'z nicht hat geheizen suochen, dem sol er daz vierteil geben davon. wan daz ist sin funtrecht. hiesz er'z aber im suochen, so sol er im sin lon geben, daz sol jener nemen mit rechte. § 181. ***Der guot findet uf fremder erde.*** Uunde findet ein mann uf fremden ertriche ein guot, ***swez daz ertriche ist, daz ist ouch daz guot.*** Daz bewaret man mit dem heiligen evangeli, daz sprichet alzo: daz himelriche glichet ist einem acker, da schaz inne verborgen ist. swa daz ein mensche inne wird, daz verkoufet alles sin guot unde kouft de acker, daz im der schaz werde, er sol aber dem vinder daz vierte teil geben, daz ist sin recht. § 282. ***Der guot findet uf der straze.*** Unde findet ein mann guot ***under erden*** uf der frien strazen, ***daz ist dez riches***, unde dem vinder sol daz vierte teil werden oder vindet man guot uf der frien straze ***ob der erden,*** daz sol er dem pfarrern oder richtern geben etc.

1) Oehlenschläger l. c. p. 190. — 2) Eichhorn l. c. § 297 not. K. — 3) Karsten l. c. p. 42.
4) Jung l. c. p. 125 sqq. — 5) Zöpfl l. c. § 50 p. 478.

6) Böhlau l. c. p. 16. Cfr. etiam hujus auctoris recensionem libri, qui appellatur: Schletter, Die Konstitutionen von Kurfürst August von Sachsen vom Jahre 1572. Leipzig 1857 in: Kritische Zeitschrift für die gesammte Rechtswissenschaft. Bd. 5. Heidelberg 859 S. 138 sq. — 7) Zachariae l. c. p. 358 sq. — 8) Weiske l. c. p. 33. — 9) Steinbeck l. c. p. 260 sq. — 10) l. c. p. 37. — †) Cfr. Addit. G.

XII. *Continuatio.* Quo autem sensu posterior quoque usus atque juris consuetudo rem metallicam tractaverit, longa litterarum monumentorum serie usque ad ipsam nostram aetatem ostendi potest. Semper enim imperatores metalla in feudum donant atque proponunt ad fodinas instruendas regis permissionem necessariam esse. Ita a. 1277 Rudolfus I. imperator Conrado, episcopo Frisingensi, metalla in ejus territorio in feudum dat, sibi autem reservans regis et imperii jura principatus et superioritatis [1]. Adolfus imperator, ejus successor, a. 1296 Philippo, Tridentino episcopo, novum metallorum privilegium donavit [2]. Carolus IV. imperator a. 1357 Joanni, comiti de Salm, potestatem salinarum in suis et subditorum terris instruendarum tribuit, sed semper illas salinas imperii feudum habendas esse [3]. Quum a. 1362 Carolus IV. Friderico, burggrafio Norembergensi, principis dignitatem concesserit, illi et successoribus omnia quoque metalla in justum feudum donavit [4]. Simili modo idem imperator a. 1365 comitibus de Helfenstein [5] et Sigismundus

---

1) Rudolfus, Dei gratia Romanorum rex, semper augustus universis praesentes litteras inspecturis volumus notum esse, quod ubicunque in possessionibus, praediis sive fundis venerabilis Frisiensis episcopi, principis nostri dilecti auri vel argenti vel alterius cujuscunque metalli vel et salis venae repertae fuerint, idem episcopus in eisdem gaudebit per omnia jure suo, ***nobis et imperio similiter jure nostro in omnibus reservato.*** Concedimus etiam memorato episcopo, ut metallum cujuslibet generis in ecclesiae suae fundo quaerere valeat, imperii jure salvo. Quare sub obtentu nostrae gratiae praecipimus universis, ne quis memoratum episcopum in his suis juribus aliqualiter audeat impedire." — Invenies hanc syngrapham apud Meichelbeck, historia Frisingensis Aug. Vind. 1724 tom. II pars II p. 81. — 2) Cfr. Böhmer regesta Adolfi n. 332.

3) — — Auch wollen wir gönnen und erlauben, demselben Johannsen, seinen Erben und Nachkommen, dass sie in derselben ihrer Grafschaft von Salmen u. uf ihrer Leute Gütern, wo sie ein Salzwasser finden mögen, oder werden in künftigen Zeiten einen Salzbrunnen oder ein Salzwerk aufrichten u. machen sollen u. mögen . . Es sollen auch die obgenannten Johannse, Grafen zu Salmen all die obgenannten Zölle, Münzen und ***Salzwerke von Uns und den obgenannten unsern Nachkommen, Römischen Kaisern und Königen und dem heiligen Reiche zu rechten Lehen haben, halten und erkennen.*** Hanc syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1452.

4) Considerantes etiam et in nostra mentis acie sollicite evolventes grata, fidelia et dudum continentia servitia, quae nobis et sacro imperio praefati Burggrafii Nurembergenses, progenitores et praedecessores eorum hactenus fecisse noscuntur et facere debebunt et poterunt praestantius in futurum ipsis haeredibus et successoribus eorum in perpetuum de speciali gratia ac de certa nostra scientia concessimus, contulimus, concedimus et conferimus in verum ac perpetuum feudum omnes auri, argenti, cupri ferri plumbi, stanni ac omnium minerarum montana et fodinas, quae in ipsorum terris et dominiis inventae sunt hactenus seu repertae fuerint in futurum, conditione tali, quo ipsi omnes fructus in iisdem in utilitatem et commodum suum proprium convertere et applicare possint ac debeant juxta suae beneplacitum voluntatis, quodque ipsi haeredes et successores eorum in perpetuum eadem montana, mineras et omnia ab eis dependentia sicut ad nostram majestatem et sacrum imperium pertinuisse noscuntur cum omnibus juribus et utilitatibus ***in verum et perpetuum feudum*** omni tempore habere et possidere debeant, impedimento quolibet procul moto. Invenies hanc syngraphum apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1452.

5) — — Haben darumb mit wohlbedachtem Mute und mit rechter Wize und von Vollkommenheit Kaiserlicher Mechte dem ehgenannten Ulrich Grafen zu Helfenstein und seinen Erben Manns geschlechter ***zu rechten Mannlehen*** alles Isenwerk in der Herrschaft

imperator comitibus de Leiningen-Dachsburg metalla in territoriis eorum et inventa, et invenienda, in perpetuum imperii feudum concessit [1]). Etiam nonnunquam liberae imperii civitates metallorum privilegia acceperunt; ita oppido imperiali Esslingensi Sigismundus imperator a. 1433 metallorum privilegium donavit [2]), quibus ex causis postea nonnullae liberae quondam imperii civitates jus metallorum regale, sicut ceteri imperii status, ad se vindicare volebant. Coenobiis quoque metallorum privilegia amplius donabantur, sicut Fridericus III. a. 1488 coenobio Borcetensi, prope Aquisgranum sito, permissionem metallorum instruendorum tribuit [3]). Maximilianus I. quoque, imperator, metalla liberaliter in feudum concessit, ita inter alios a. 1495 nuper nominato duci Wurtembergensi donat: «Salzfluesse, Erz und Bergwerke . . . und alle andern

---

und Wiltgant desselben von Helfenstein wo das gelegen sei mit mühlen, hammern an der grenze an dem Kochern oder anderswo, wo sie dürfen zu machen zur Nothdurft des ehgenanten Isenwerks — — — verliehen etc. — Anno 1366 imperator autem iisdem comitibus de Helfenstein non indulsit, quod in Koenigsbrunnensis coenobii praediis ferrum indagabant: — — „darumb gebieten wir ernstlich bei unserer und des Reiches hulden dem vorgenannten Ulrichen Grafen zu Helfensteine, dass sie uf dem ehgenannten Ezammenberge und uf allen andern Gütern, die des obgenannten Klosters eigen sindt und da derselbe von Helfenstein nicht Herrschaft und Wiltgant hat kein Isenerz zu graben, noch suchen, noch Isenwerk machen sollen.“ Has syngraphas invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1452.

1) Haben darumb durch gemeines Nutz willen derselben Landt mit wohlbedachtem muthe, gutem rathe undt rechtem Wissen denen selben Emichen und seinen erben gegünnt und erlaubet, ***günnen undt erlauben ihnen Kraft dieses briefes und Römischer Königlicher macht, dass sie in ihrer grafschaft und uf den ihren, es sei Lehen oder Eigen, Bergwerck suchen*** und daselbst Gold, Silber, Kupfer, Zinn, Blei und allerlei ander erz arbeiten, erheben und bauen sollen und mögen, von uns, unsern Nachkommen, Römischen Kaisern und Koenigen und sunst allmänniglich ungehindert mit solchen Rechten, die ander Bergwerk in dem h. Reiche haben und der geniessen ***von recht un gewohnheit***, doch dass den leuten, den das Feld, Boden oder Acker weren, ihr Erben dran abgelegt werden. Die eh genanten Grafen und seine Erben ***sollen auch solch bergwerkh von Uns und unsern Nachkommen an dem riche zu Lehen haben und sie von dem riche emphahen.*** Hanc syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1453.

2) Wir Sigmund, von Gottes Gnaden Romischer Kaiser — — Erkennen — — dass Burgermeister, Rath und Stadt zu Esslingen ihre ehrbare botschaft zu uns gesandt haben und fürbringen lassen, wie sie einen berg an derselben stadt zu Esslingen liegend haben, der da heisset der Plinshald und ihr eigen sei undt hätten muthe denen zu bawen und Ertz dadrinnen zu suchen und haben uns demuthiglich gebeten, ihnen dass ***von Keiserlicher Macht*** zu gönnen. Dess haben wir angesehen ihre redliche bote . . . . und mit wolbedachtem muthe, gutem Rathe, Unserer getrewen und rechter wisen gnedicklich zugelassen und Ihnen gegunnet und erlaubet und diese besondere Gnad gethan, dass sie solch bergwerk an dem eh genannten berge arbeiten und drinnen allerlei ertz, es sei Gold, Silber, Kupfer, stahl, Eisen, Zinn, Blei oder was Erz das sunst sei, suchen, graben, usziehen und wirken mögen, als ihnen dat gefellig ist. — Hanc syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1453.

3) — — Eidem monasterio, abbatissae et conventui praesentibus et in posterum donamus et favorabili consensu concedimus ac permittimus, quod in ipsorum monasterii territorio, districtu, fundis et terris, inquiri, fodi et laborari mineras sive fodinas stanni, plumbi, ferri, cadmii, et alia cujuscunque generis et aeris metalla sive frugisfacere possint et valeant et debeant. — Hanc syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1454.

Gerechtigkeiten unten und ob der erden»[1]). Atque eodem anno 1495 imperator Philippo, comiti ab Waldeck, et heredibus ejus ob illius petitum in perpetuum imperii feudum tribuit: «alle undt jegliche Bergwerke undt Salzbrunnen»[2]). Immo etiam ex XVI° et XVII° saeculo et postea denique exempla afferri possunt, ut principibus territorialibus ab rege et imperio in feudum tributa sint omnia metalla in territorio illorum principum aut comitum reperta aut invenienda «sie tragen Gold, Silber, Kupfer, Blei, Salz oder ander Erz oder Metall», veluti exempli gratia a. 1650 Ferdinandus III. imperator comitibus de Rantzau[3]) et a. 1675 Leopoldus I. imperator comitibus ab Koenigseck[4]) metalla in feudum dedit.

XIII. *Continuatio. Jus metallorum regale, cura dominorum fundatum.* Quamvis etiam ex litterarum monumentis supra commemoratis jam colligi posse videatur, imperatores ex pugna, quae inter eos et principes territoriales de metallorum jure regali tamdiu acriter pugnabatur, superiores discessisse, tamen res non solum ita se non habebat, sed in contrariam etiam vertebat. Nam tantum aberat, ut ab imperatoribus, sententiam illam «metalla atque salinas ad regalia imperii pertinere» sequentibus, fodinas de integro repertas, ne dicam jam exstantes, occupatas esse, ut ne unum quidem exemplum, quo imperatores hoc regali jure re vera usos esse demonstretur, afferri possit; nedum imperatores metallis in feudum datis fontem redituum suorum abundantiorem efficerent. Negari quidem non potest, nonnullos imperatores et praecipue Fridericum I., Barbarossam, Henricum VI., et postea Albertum I. re probare conatos esse, jus regale metallorum sibi esse, quum fodinas nuper repertas ad se vindicantes sub hac sola conditione statibus imperii donarent, ut certa redituum metallicorum pars sibi solveretur. Sed tamen temporum iniquitate factum est, ut imperatores ab illis postulatis denique discedere et tantum in metallis statibus imperii donandis acquiescere cogerentur et eo majorem praestabant liberalitatem, quo magis intelligebant, se jure metallorum regali rigide et restricte exercendo promiscuam pugnam omnium imperii statuum provocaturos esse. Eo potissimum consilio ducebantur, quod illa liberalitate numerum assectatorum augere atque animos statuum imperii sibi conciliari sentiebant. Ceterum sic quoque imperatores illos imperii status, qui antiquitus metalla jam tenebant, de possessione non deturbabant, sed possessionem eorum nominatim aut tacite tunc quoque confirmabant, quum illi, (id quod praecipue in meridionali et orientali

1) Syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1086. — 2) Chartam donationis invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1454. Cfr. quoque de hac re Zachariae l. c p. 356. — 3) Syngrapham invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1456. — 4) Chartam donationis invenies apud Pfeffinger l. c. tom. III p. 1456.

Germaniae parte persaepe fiebat,) litteras beneficiarias a rege et imperio datas proferre non possent. Neque enim alio modo explicari potest, quum in nonnullis antiquis litterarum monumentis etiam XIII[i] saeculi, imperii status facultatem metallorum habeant, neque de regis et imperii donatione sermo sit. Sed immo etiam hic quoque persaepe de subfeudo quodam agitur, quum jam antiquitus illis imperii statibus majus feudum concessum sit. Nonnulli autem illa jura majestatis, quae sine ulla regis intercessione jam hisce temporibus hac atque illac ab imperii statibus exercebantur, ex duobus constitutionibus Friderici II. imperatoris ducere conati sunt. Priore ex eis hic imperator et ea quidem a. 1220 ecclesiasticis [1]), posteriore, a. 1232 proposita, saecularibus principibus [2]) possessionem libertatum secundum eorum consuetudinem approbatam confirmaverat. Verum false illi viri docti derivaverunt; nullo enim loco harum constitutionum de metallis aut salinis sermo est, cum reliqua et jura principum et libertates illic enumerentur. Denique, etiamsi in illis litterarum monumentis nec de rege, nec de imperio, sermo est, non prorsus constat, possessionis feudalis confirmationem regalem, aut tacite datam, aut nominatim litteris beneficiariis, jam antiquitus ab imperatore concessis, locum non habuisse. Ita ut exemplo utar, Gothofredus, Admontensis abbas a. 1216 dominis de Pulmdorf ferrifodinas Ysenhartenses concessit [3]) et anno 1232 Germanici ordinis equites in litteris, quibus nonnullas libertates atque facultates subditis concesserunt, omnia metalla atque salinas in territorio suo invenienda excipiunt [4]). Neque de regali metallorum jure abbati Admontensi, aut ordini Teutonico olim ab imperatore concesso, neque de alio aliquo jure, quod abbati illi aut ordini Germanico jus metallorum concesserit, in utraque syngrapha sermo est.

XIV. *Continuatio. Bulla Aurea.* In Bohemia jam antiquitus res

---

1) Hanc constitutionem invenies apud Pertz monum. leg. tom. II p. 236.

2) „Unusquisque principum libertatibus, jurisdictionibus, comitatibus, centis, sive liberis, sive infeodatis utatur quiete secundum terrae suae consuetudinem approbatam." Constitutionem hanc invenies apud Pertz mon. leg. tom. II p. 291.

3) — — Innotescat igitur cunctis Christi fidelibus, tam praesentibus, quam futuris, quod nos Gotofridus, Dei gratia Admontensis abbas licet indignus, consilio habito, nostrorum confratrum ac de bona ipsorum voluntate, fodinas illas, quae nuncupantur Ysenhartenses et Admontensis fodina, quae modo pro una reputantur, domino Meynhardo et Heinrico de Pulndorf et Godofriedo ipsorumque sociis habendas tali conditione concessimus, ut debeant nobis persolvere marcam 130 denariorum. — Invenies hanc syngrapham apud Wagner l. c. p. 31.

4) — „Salvis tamen his, quae domui nostrae per totam terram ducimus retinendas. Retinenda enim domui nostrae in bonis eorum (civium) omnes lacus, castores, venas salis, auri argentique fodinas et omne genus metalli praeter ferrum, ita ut tamen inventor auri seu is, in cujus bonis inventum fuerit, idem jus habeat, quod in terra ducis Slesiae, in hujusmodi talibus est concessum. Inventor autem argenti, sive is, in cujus agris inventum fuerit, jus Fribergense in hujusmodi inventione perpetualiter obtinebit." Invenies hanc syngrapham apud Kretschner l. c.

metallica magnopere floruerat et Bohemici reges jus metallorum regale semper ad se vindicaverant, quamvis metalla nunquam ab imperatore in feudum accepissent [1]. Qua de causa sub Adolfo et Alberto I., imperatoribus, diu et aeriter contra Wencislaum II., Bohemiae regem pugnatum est, neque tamen hoc proelium cum commodo imperii cessit. Quae quidem pugna postea Carolum IV. imperatorem non paulum ad constitutionem de jure regali metallorum in Bohemiae regno componendam commovebat et hujus pugnae de jure metallorum regali Bohemicae exitus reliquis etiam imperii territoriis magni momenti erat. Carolus enim IV., quum ambas coronas et Germaniae et Bohemiae, id est dignitatem Romani imperatoris et Bohemiae regis in se collocatam congregaret, pugna inter imperatores et principes territoriales exarsa de jure regali metallorum in perpetuum cessare videbatur. Nam idem ille Carolus, in quo Bohemici regis dignitas plus, quam Romani imperatoris majestas valebat, ut in posterum talibus imperatorum postulatis juris metallorum regalis, qualia Albertus I. imperator contra Wencislaum regem divitum Bohemicorum metallorum causa sibi vindicaverat, succurreret, in perpetuum juri regali metallorum in territoriis principum electoralium renunciavit, quo, de jure suo et successorum imperatorum decedens, non obstabat, quin similis renunciationis declaratio legibus Bullae aureae insereretur [2].

XV. *Continuatio.* Qua autem cessione juris metallorum regalis ab imperatore Carolo IV., a. 1356 bulla aurea principibus electoralibus, etiamsi tantum in favorem territorii eorum, facta, postulata et po-

1) Ita, ut exemplo utar, Ottokarius Bohemiae rex, a. 1227 fundatori civitatis Jamnitzensis metalla, eodem loco repertas donavit hisce verbis: — — Insuper de libera nostra voluntate et auctoritate regia confirmamus eidem fideli nostro suisque haeredibus usum et urburam aurifodinarum, quae nunc ibidem in circuitu civitatis Jamnic sunt atque in futurum fuerint ibidem repertae, omnemque proventum de montibus ibidem, sive sit in argento, plumbo, ferro, aliisque metallis favorabiliter admittimus libere et haereditarie percipiendum nunc et in futurum. Inhibemus itaque et mandamus magistro montium de Iglaw et universis magistris urbusariis et juratis montanorum per Bohemiam et Moraviam, ut praefatum fidelem nostrum Petrum suosque successores contra omnes juris sibi a nobis benigne concessi violatores defendent fideliter et tueantur sub favoris nostri regii obtentu." — Hanc syngrapham, sicut etiam longam seriem deinde ab a. 1045 inchoatam aliarum chartarum a Bohemiae regibus in concedendis metallis compositarum apud Sternberg l. c. tom. I part. II invenies.

2) Bulla Aurea cap. IX § 1: Praesenti constitutione, in perpetuum valitura, statuimus ac de certa scientia declaramus, quod successores nostri ***Bohemiae reges,*** nec non universi et singuli ***principes electores,*** ecclesiastici et saeculares, qui perpetuo fuerint, ***universas auri et argenti fodinas atque mineras stanni, cupri, plumbi, ferri et alterius cujuscunque generis metalli, ac etiam salis, tam inventas, quam inveniendas in posterum quibuscunque temporibus*** in regno praedicto, aut terris et pertinentiis, eidem regno subjectis, nec non supradicti principes in principatibus, terris, dominiis et pertinentiis suis tenere juste possint et legitime possidere, cum omnibus juribus, nullo prorsus excepto, ***prout possunt seu consueverunt*** talia possidere." Cfr. Oehlenschläger l. c. 1.

steriorum imperatorum, et fundi possessorum, magnam calamitatem in perpetuum acceperunt. Praenuntia enim fuerat superioritatis territorialis etiam reliquorum imperii statuum, quae posthac in dies magis magisque increscebat. Nam haud ita multo post, quum imperium in dies debilitaretur frangereturque, etiam ceteri imperii principes jus metallorum regale ex superioritate territoriali ad se vindicare conati sunt. Postquam sensim et paullatim illud jus consuetudine occupaverant, tali modo illud exercebant, quomodo ne in cogitationem quidem opulentissimorum etiam imperatorum unquam venerat[1]). Primo quidem tempore principes territoriales in jure metallorum exercendo passim ad imperialem concessionem provocant[2]), verum inde ex XVI° et XVII° post Christum saeculo, quibus temporibus progressio immutatioque superioritatis territorialis publico sumptu conficiebatur, hoc etiam in dies rarius fieri incepit. Superioritas territorialis illis atrocissimis belli XXX annorum temporibus cum damno imperialis majestatis tam stabilis atque firma facta erat, ut Osnabrugensis pacis instrumento illa lex inseri posset, ut in posterum omnes imperii status regalia, antea soli majestati imperiali attributa, ex jure superioritatis territorialis nullo obloquente et quieto animo possiderent[3]). Denique res eo pervenerat,

1) Cfr. Zachariae l. c. p. 364 sqq.

2) Ita inter alias comitatus Hennenbergensis lex montana, die 18 mens. Decemb. a. 1566 promulgata, ubi prooemium hisce verbis incipit: Nachdem aus gnedigen und milden Gaben des Allmächtigen vor vielen hundert Jahren unter andern Unserer Fürstl. Grafschaft Henneberg gedeihlichem Aufkommen und Nutzungen an mehr denn einem Ort derselben unserer Fürstl. Grafschaft auch allerhand nutzbare Bergwerk ereignet, welche dann weilandt Unsere Vorfahren sel. Gedächtniss und ***sonderlich Graf Poppo von Henneberg seliger im Jahre 1216 von weilandt Kaiser Friederichen dem Andern*** Hochlöblichster Gedächtniss ***als ein vornehmlich Regal zu Lehen empfangen*** und folgende Zeit alle gemeldeter Grafen Poppo selige Nachkommen Grafen und Herren zu Henneberg bis auf ***Uns von Römischen Königen und Kaisern als des heiligen Reiches Lehen gehorsamen*** Vasallen ***dieselbigen Bergwerke unterthänigst getragen*** auch zu schuldiger Fortsetzung ***solchen Regalstückes*** neben Beförderung gemeiner und eines jeden Gewerken und Bergmannes Nutzes und Wohlfahrt allerwegen mit höchstem Fleisse dahin sich bemühet, dass bemeldete Gottesgabe der Bergwerke vermittelst heilsamen guter Ordnung jederzeit zu reichlichem Gedeihen und Aufnehmen gebracht werden möchte.“ Cfr. Gräfl. Hennebergische Bergordnung vom 18. Dezbr. 1566 apud Brassert l. c. p. 221. — Cfr. etiam legem montanam Thuringensem a. 1563 compositam, ubi ita dictum est: Welche Bergwerke und Metalle und Bergarten mit allen ihren Zubehörungen, Gerechtigkeit, Freiheit und was derselben mehr anhängig sein mag Uns als den jetzigen Landesherren in Thüringen sofern sich unsere Lehn und Botmässigkeit erstreckt, nicht allein von hoher landesfurstlicher Obrigkeit wegen Kraft unserer Regalien auch der goldenen Bulle von Recht und Billigkeit wegen und sonst Niemand andern, gebühren und zustehen, sondern es sind auch unsere Vorfahren die Landgrafen von Thuringen von römischen Kaisern vor etlichen hundert Jahren mit den Bergwerken und aller metallischer Art sonderlich begabt, versehen und beliehen worden, wie solches die uralten kaiserlichen Lehnbriefe so daruber vollzogen und unsern Vorfahren mitgetheilt, ferner ausdrücklich und klärlich beweisen, besagen und ausweisen.“ (Thuringer Bergordnung v. 1563.) Cfr. quoque Weiske l. c. p. 70.

3) Instrumentum pacis Osnabrugensis. Artic. VII, § 1: Ut autem provisum sit, ne posthac in statu politico controversiae suboriantur, omnes et singuli electores, principes

ut sola illa re, quod quondam imperatores principibus territorialibus metalla atque salinas in feudum tribuissent, acquisitionis juris regalis metallorum titulus satis demonstrari posset. Sicut enim antea imperialium juris consultorum doctrina «metalla atque salinas pertinere ad imperatoris jus regale», multum ad incrementum juris metallorum regalis attulerat, ita etiam tunc illa doctrina non parvi momenti erat, ut principes territoriales jus metallorum regale ad se vindicarent. Quum aulici principum territorialium juris prudentes sententiam, «quemlibet imperii statum tantum posse in suo territorio, quantum imperator in regno,» proposuissent, superioritatem territorialem cum imperiali majestate aequaverant. Etiam in hac re non acquiescebant, sed vel illam Friderici I. constitutionem «Quae sint regalia» [1]) laudabant, qua territorialis superioritas supra exspectationem aetatis, quae vigentissima imperatorum existimata est, amplificabatur, quamquam constitutio, in Lombardia tantum promulgata, nondum apud Germanos rata erat. Quum enim illis temporibus jus privatum et publicum non exacte discerneretur, confusio jurium proprietatis privatorum et reipublicae amplitudinum non rara erat et fieri non potuit, quin cura custodiaque metallorum atque vectigalium metallicarum exactio, quae jura ad summum reipublicae imperium necessario pertinebant, cum jure quodam proprietatis metallorum regali permiscerentur et confunderentur. Principes enim territoriales ex superioritate territoriali illud jus metallorum regale ducebant, ita ut quisque princeps in territorio suo solus potestatem metallorum instruendorum haberet, nisi privatis personis hanc facultatem tribuisset et denique jus metallorum adeo amplificabant, ut omnia fossilia, dummodo fructuosa essent, regalia declararent [2]), quum tamen bullam auream metalla, quae

---

et status imperii Romani in antiquis suis juribus, praerogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in ecclesiasticis quam politicis, exercitio, ditionibus, regalibus, horumque omnium possessione vigore hujus transactionis ita stabiliti firmatique sunto, ut a nullo unquam sub quocunque praetextu de facto turbari possint vel debeant.“ Invenies hoc pacis Osnabrugensis instrumentum apud Schmaus, Corpus juris publici N. 53—54.

1) Cfr. II. Feud. 56. Invenies hanc constitutionem p. 40 hujus opusculi citatam not. 1.

2) Ita in lege metallica Brandenburgensi die 1. Dec. a. 1619 promulgata: § 7. Und nachdem uns Inhalts Kaiserlicher Freiheiten nicht allein die hohe Metall als Gold und Silber, sondern in Kraft derselben und unserer Aemter Herkommen das Eisen, Kupfer, Zinn, Blei, Quecksilber, Schwefel, Salz, Vitriol, Alaun und dergleichen *zugehörig*, als soll ein jeder bergmeister und sonst Niemand Macht und Recht haben in unserm Furstenthume auf alle metalle und mineralien, wie die namen haben sammt Steinkohlen, Schiefer, Mühl- und Feuersteine, *nichts ausgenommen*, Bergwerk zu verleihen nach Ausweisung bergläuftiger Weise und der Bergrechte. — Auch ob wir wohl denen von Adel den eisenstein auf ihren Gründen alten Gebrauch und Herkommen nach für sich allein ohne unser Interesse zu gebrauchen gnädiglich nachgegeben, so sollen doch solche eisenbergwerke kraft habende Regalien unserer Bergordnung gemäss angestellt in unserm Bergamt nach Bergwerksgebrauch gemuthet, bestätigt und verrezessiret, auch von unserm Bergamtsleuten und Geschworenen jederzeit befassen, berichtiget und nützlich zu bauen mit eingerathen werden.“ (Markgräflich Brandenburgische Bergordnung

proprie intelliguntur, atque salinas, sola juri regali principum electorialium subjecta essent. Permirum autem est, fieri potuisse, ut praeter hoc strictissimum jus metallorum regale, quod tunc principes territoriales semper exercebant, operis metallici libertas integra servaretur. Sed, uti jam supra demonstravimus, multis de causis rationibus principum maxime conducere visum est, ut etiam quisque, qui certis legis conditionibus satisfecisset, facultatem metallorum instruendorum haberet. Nonnulli tamen principes territoriales in novo legum metallicarum codice componendo non praetermittebant, quominus etiam liberam metallorum exercitationem e principum concessione emanantem et in jure regali metallorum positam explicarent, quamquam libertatem operis metallici multo ante jus regale metallorum exstitisse constat, quum metallorum libertas, ex jure consuetudinis orta, jam in antiquis metallicorum Hungaricorum legibus verbis expressa sit †).

XVI. *Repetitio et continuatio.* Denique, ut totam juris regalis metallorum historiam in uno conspectu ponamus et ad exitum perveniamus, omnia, quae supra de nascente, crescente et adulto jure regali metallorum diximus, recenseamus atque paucis verbis complectamur.

---

vom 1. Dec. 1619, § 7.) Cfr. Wagner, Corpus juris metallici p. 437. — Atque lex metallica revisa Silesica die 5. Juni 1769 promulgata ita in cap. 1 § 1 proponit: Welche mineralien zu den regalien zu rechnen: Alle mineralien und Fossilien, die sowohl in andern Ländern als nach den voran angeführten alten Bergwerksordnungen als auch nach der observanz zu dem bergwerksregal gerechnet und dahin gezogen werden, sollen Uns fernerhin dergestalt verbleiben, ***dass wir selbige nach Unserm Gutbefinden selbst bebauen oder baulustige Gewerke damit belehnen können;*** jedoch reserviren wir uns alles Steinsalz und Salzquellen vor beständig zu unserer allerhöchsten eigenen Nutzung. Es gehören also zu unserm Bergwerksregal alle Metalle und Halbmetalle, das Eisen allein ausgenommen, ferner Arsenik, Kobalt, Nickel, Vitriol, Alaun, Salpeter, Steinsalz, Salzquellen, Steinkohlen, Schwefel, Serpentin, Flussspat, Wasserblei, Bergkristall, Chrysopas, alle ganze und halbedlen und übrige pretiöse Steine. Insofern jedoch edle und halbedle Steine auf den äckern der privaten sich finden, (ohne dass bergmännischer bau darauf geführt werden darf, verbleibt denselben darüber der freie Gebrauch und Disposition und wollen wir vermöge unsers Bergregals auf dergleichen Steine nachsuchen zu lassen, Uns vorbehalten: (Revidirte Schlesische Bergordnung vom 5. Juni 1769 Kap. 1, § 1). Cfr. Brassert l. c. p. 943. — Similia lex metallica Magdeburg. et Halberstadt. d. 7. Dec. 1772 promulgata, in Cap. I. § 1 proponit, sed hac in lege etiam ferrum in regalibus numeratur (Cfr. Magdeburg-Hallerstädtische Bergordnung vom 7. Dec. 1772 apud Brassert l. c. p. 1076.) — In nonnullis metallicis legibus turfa etiam regalibus adnumeratur, cum tamen ordinarie illa tantum fossilia regalibus numerari possint, quae artificioso labore ex terra effodiuntur. Sed illis temporibus et etiam superiore aetate, id est ante hoc saeculum, turfa substantia mineralogica habebatur. Qua ex causa in non paucis metallorum legibus superioris aetatis etiam illis metallis turfa adnumerabatur, quae regalia essent. ***Commune*** autem jus turfam etiam illis temporibus regalibus metallis non adnumerabatur et jus Borussicum commune expressis verbis turfam e metallis regalibus adnumeratis excipit. (Cfr. Allgem. Preuss. Landrecht P. II. tit. 16 § 73.) De hac re invenies complura disputata apud Pfeiffer, Ueber die Regalität des Torfes. Zeitschrift für deutsches Recht von Beseler, Reyscher und Wilda tom. XIII. Tübingen 1852 p. 221—243. Cfr. quoque Wiegmann, Ueber Entstehung, Bildung und Wesen des Torfes.

†) Cfr. Addit. H.

Jam in vetustae antiquitatis regnis, ubi respublica in regis persona contracta erat, jus regale quoddam metallorum exstabat. Tum Graecorum jus metallorum nostro simile erat, sed incertum, num regale esset. Romani denique, si interpellationes, quibus Caesares postea contra jus privatorum utebantur, praeterimus, nihil illi juri simile habebant. Atqui tamen et Graeci et Romani nonnullae metallicae amplitudinis jura (i. e. Berghoheitsrechte), quae utique ad summum reipublicae imperium pertinebant et ex jure vectigali et publicae securitatis curae emanabant, semper tenebant. Neque minus ab antiquis metallicarum legum codicibus, jure consuetudinis compositis XIII° saeculo, jus metallorum regale alienum est, nisi, sicut priore aetate factum est, metallicae amplitudinis jura, ad regis officium utique pertinentia, nimirum jus concessionis, publicae securitatis curae, vectigalium, intelliguntur. Quae autem metallicae amplitudinis jura in illis civitatibus eo potius in rempublicam competant oportet, ubi, sicut his antiquis metallicorum legibus sancitum est, operis metallici libertas concessa est. Prima igitur Germanicorum metallorum aetate jus metallorum regale ignotum erat, et imperatores Germanici ex XII° saeculo primum ad jus Romanum, non bene intellectum, provocantes, jus quoddam metallorum regale, potissimum eo consilio ad se vindicabant, ut confectos atque deminutos imperii reditus magnis metallorum tributis exigendis augerent. Neque tamen unquam imperatoribus, multis impetibus inanibus factis, contigit, ut jus metallorum regale alio modo nisi metallis concedendis exercerent. Quae quidem concessio plerumque autem nihil aliud, nisi artis metallicae exercendae permissio erat, sicuti multis litterarum monumentis demonstrari potest. *Tunc primum, quum superioritas territorialis vigere coepit, vere jus metallorum regale ortum est* atque inde posthac, jurisconsultis principum adjutoribus, in plerisque Germaniae territoriis jure consuetudinis confirmatum est. Quum enim bulla aurea lege imperii lata principibus Germaniae electoralibus jus metallorum regale concessum esset, non ita multo post reliqui quoque principes id jus ad se vindicare conati sunt. Omnino quidem instrumento pacis Osnabrugensis omnibus imperii statibus regalia concessa sunt et antiqua illorum jurium possessio confirmata est, sed tamen putari non potest, jus regale metallorum *ubique* locorum in Germania pro omnibus metallis *legaliter* exstare, quamvis in plerisque Germaniae territoriis princeps jus regale metallorum et e concessione imperiali et e jure consuetudinis ducat. Jus igitur metallorum regale ex usurpatione principum sensim et paullatim, aulicis jurisconsultis adjutoribus, ortum est et quum imperatorum interpellationes in jura proprietariorum repulsae essent, tamen denique principibus territorialibus contigit, ut illud strictissimum jus regale occuparent et jure consuetudinis in eo firmarentur.

XVII. *Continuatio et conclusio.* Varii legum metallicarum codices, recentioribus saeculis promulgati, proponunt, metallorum exercendorum potestatem esse jus quoddam fructuosum et omnino ad reipublicae imperium pertinens, quod tamen jus respublica etiam aliis personis cedere possit. Illud enim jus inter alia ita tractari, ut respublica libertatem quidem operis metallici constituere possit, semper autem sola potestatem fossilia regalia occupandi, scilicet in certo circuitu sibi reservandi habeat, si forte ipsa in posterum metalla publico sumptu instruere velit. Jurisconsulti enim superioris etiam saeculi ea falsa opinione tenebantur, omnia metalla nondum occupata ex jure regali principis esse et ibi solum, ubi princeps libertatem metallorum concesserit, privatos etiam habere indagandorum metallorum potestatem. Atqui, quam perversa illa jurisconsultorum opinio fuerit, demonstrare conati sumus et historia duce et originem et progressus juris regalis metallorum persequentes reperimus, libertatem metallorum prius jam exstitisse, quam jus quoddam regale metallorum alicui in mentem venerit. *Libera enim metallorum exercitatio non e principum concessione, sed e jure consuetudinis orta est.* Nam illa metallicae libertatis consuetudo jam in antiquis metallicorum Hungaricorum legibus verbis expressa invenitur, et XIII[i] saeculi temporibus jam tantopere inveteraverat, ut antiquum fundi possessoris jus, etiamsi non sine pugna, submovere et paullatim devincere potuerit. Nimirum principes libertatem metallorum contra fundi proprietariorum impetus tuebantur, quia illam et suis et reipublicae rationibus maxime conducere intelligebant. Attamen negari non potest, liberam metallorum exercitationem non e principum voluntate, sed ex omnium voluntate, more et consilio ortam esse, cuique consuetudinis juri similem, cujus prima origo incerta est et quod primum in parvis circulis cultum sensim et paullatim crescit, donec denique illud ubique locorum agnoscitur. Jus autem regale metallorum itidem ex jure consuetudinis ortum est, sed nunquam commune totius Germaniae jus factum est. Imperatores enim, qui illud a XII[o] saeculo ad se vindicabant, illud non aliud, nisi metallis concedendis exercebant et omnibus fere imperii statibus obstantibus, verbo, non re, tenere poterant. Quum tamen illud metallorum jus regale lege lata solis principibus electoralibus bulla aurea concessum sit, omnes ceteri imperii status jus metallorum regale eatenus tantum tenent, quatenus illis singulis ab imperatore et regno specialiter concessum est, aut quatenus illi consuetudinis jure aliove modo legaliter illud jus comparaverunt. Quare etiam in quoque territorio ea tantum fossilia regalia sunt, quae olim principi imperialis concessionis diplomate concessa sunt, aut quae jure consuetudinis regalia facta sunt. In illis autem territoriis, in quibus respublica usque adhuc jus regale metallorum non habebat, huic reipublicae, nisi

illud jus ex lege quadam aut consuetudine ducere potest, jus nullum est, ad arbitrium jus regale metallorum ad se vindicandi, sed hic fundi possessor tantum in fundo suo metallorum indagandorum facultatem habet.

XVIII. *Jus metallorum regale in codice juris civilis communis Borussico* *). Codex Borussici juris civilis communis in P. II. tit. XIV. § 22, quo loco sermo est de publicis fructibus et reditibus reipublicae, postquam in praeposita paragrapho 21 enunciatum est: «dass land- und heerstrassen, die von natur schiffbaren Ströme, das ufer des meeres, ein gemeines eigenthum des staates sein sollen», in eodem numero esse proposuit: «das ausschliessliche recht, gewisse arten von *herrenlosen* Sachen in besitz zu nehmen.» Deinde tit. XVI., qui de juribus reipublicae versus bona et res, *quae nullius sunt*, agit, in sect. IV. de jure regali metallorum loquitur. In § VI. hujus tituli XVI. autem nominantur tales res, *quae nullius* sunt: *„die unterirdischen Schätze der Natur" auf die „da sie noch in keines menschen eigenthum gewesen" nach § 1 der Staat „ein vorzügliches recht zum besitze" habe, und welche kein dritter ohne einwilligung des staates in besitz nehmen könne.* Denique ususfructus (das «nutzungsrecht») illius facultatis reipublicae ad res, quae nullius sunt, occupandas, secundum tit. XIV. § 24 *ad regalia minora* pertinet et secundum § 25 ejusdem tituli illa publica reipublicae proprietas minorum regalium eodem loco cum publicis agris et praediis habenda est. Deinde in P. II. tit. XVI. §§ 69—74—§ 95 et 97 illa fossilia, quae juri regali subjecta sunt, enumerantur et omnino jus metallorum regale accuratius describitur [1]). Sed tamen

---

*) Cfr. Allgemeines Landrecht für die königl. preussischen Staaten. Berlin 1863. Brassert, Das Bergrecht des allgem. preussischen Landrechtes in seinen Materialien. Bonn 1861. — Gräff, Handbuch des preussischen Bergrechtes. Breslau 1856 p. 25 sqq. — Karsten, Grundriss etc. — Achenbach, Bergregalität und Berghoheit in Preussen l. c. p. 73 sq. — Klostermann l. c. p. 76 sqq. — Weiske l. c. p. 72 sq. — Brassert, Bergordnungen der preussischen Lande. Köln 1858.

1) § 69. Alle Fossilien, woraus Metalle und Halbmetalle gewonnen werden können, gehören in Ermangelung besonderer Provincialgesetze ausschliessend zum Bergwerksregal § 70. Dergleichen alle Edelsteine und andern Steinarten welche nicht nach § 73 und § 74 ausgenommen sind. § 71. Ferner alle Salzarten mit den Salzquellen, vorzüglich Steinsalz, Salpeter, Vitriol und Alaun, sowie auch Inflammabilien als Schwefel, Reissblei, Erdpech, Stein und Braunkohlen. §. 72. Andere Fossilien hingegen, die in ihrer natürlichen Gestalt sogleich zum okumenischen Gebrauche bei Künsten, Handwerken oder zum Baue genutzt zu werden pflegen, gehören dem Eigenthümer des Grundes und Bodens oder dem Gutsherren, wenn derselbe nach den Provincialgesetzen das Vorrecht darauf hat (Thl. II. Tit. 9 § 94 fg.) § 73. Besonders werden Marmor, Porphyr, Granit und Basalt, Serpentinstein, Kalk, Gips, Sandsteine, Torf, Thon, Lehm, Mergel, Walker-Umbra- Ocker- und andere Farberden, insofern aus letztern keine Metalle oder Halbmetalle gewonnen werden können, zu den Regalien nicht gerechnet. § 74. Dies findet auch von den nach § 70 zum Bergwerksregale gehörenden Steinarten Anwendung, wenn sie entweder auf den Aeckern liegen, oder durch die Pflugschaaren ausgerissen, oder bei Gelegenheit anderer ökumenischer Arbeiten einzelnen gefördert werden. § 95. Auf alles

codex juris Borussici communis in illa ratione, fossilia nondum occupata, esse res nullius, ad quas occupandas res publica imprimis jus habeat, non semper permanet, cum aliis locis illae antiquae doctrinae, olim rempublicam solam fuisse dominum summum omnis fundi intra fines territorii sui versantis, atque nunc etiam esse dominum omnium fossilium nondum occupatorum, indulgere videatur. Nam in P. II. tit. XVI. § 105 ita sancitum est: «Hat der Beliehene die Recessgelder der einmal geschehenen Erinnerung ungeachtet nicht bezahlt, *so fällt sein Bergwerkseigenthum an den Staat* zurück,» — quamvis putari oporteat, illa metalla in pristinam conditionem reverti et res nullius denuo fieri. Neque minus obscuri sunt hi loci P. II. tit. 14. §§ 22, 24, 25, ubi «das ausschliessende *recht*, gewisse arten der herrenlosen Sachen in besitz zu nehmen,» reipublicae proprietas (ein «Staatseigenthum») nominatur, quum tamen ante veram occupationem illorum fossilium, quae juri regali metallorum subjecta sunt, de reipublicae proprietate certo sermo esse non possit. Sicut enim respublica proprietatem aliquam super illas res non habet, quae illi adjudicatae sunt, antequam eas in fiscum redegit, sed de *jure* solo ad illas occupandas sermo esse potest, ita etiam illic de *jure* solo ad fossilia occupanda loqui potest. Sed utcumque res se habet, sive quod codex juris Borussici communis fossilia usque adhuc non occupata et juri regali subjecta veluti res nullius, sive quod veluti in reipublicae proprietate versantia tractat, id semper certum est, codicem juris Borussici communis juris metallorum regalis tenacissimum esse.

XIX. *Continuatio. Concessio territorii metallici*)*. Borussici regis mandata de majoribus metallorum territoriis concedendis d. d. 1. Sept. 1842 et 12. Aug. 1854 ex illa superioris aetatis doctrina emanaverunt, quae a libertate metallorum maxime discrepant. Concessio enim majoris metallici territorii (Districts- oder Specialverleihung) ex eo consistit, ut princeps ad libitum cuidam, etiamsi venas metalli non indagaverit, agrum metallicum non dimensum et majorem tribuat, quam ipsi metal-

---

von den beliehenen Bergwerkseigenthümern gewonnene Gold und Silber hat der Staat wegen des ihm kompetirenden Münzregals den Vorkauf. § 97. Dagegen dürfen Erze, Eisensteine und überhaupt rohe Bergwerksprodukte oder Materialien, aus welchen erst durch Zubereitung und Verarbeitung Metalle oder mineralische Fabrikate herausgebracht werden, ohne besondere Erlaubniss des Staates bei nachdrücklicher Strafe ausserhalb des Landes nicht verfahren werden. (Allg. Preuss. Landrecht II. tit. XVI. § 69—74, 95, 97.) Cfr. Brassert l. c. p. 1095 sq.

*) Cfr. Karsten, Grundzüge etc. § 25—32. — Achenbach, die Rechtsgültigkeit der Distriktsverleihungen in Preussen. Köln 1859. — Wachler, Ueber die Rechtsgültigkeit der Feldesreservation für den fiskalischen Bergbau, insbesondere in Oberschlesien 1865. — Wachler, das jus excludendi alios. Zeitschrift für Bergrecht von Brassert und Achenbach tom. VI. Köln 1865 p. 401 sq. — Wachler, Der Bergbau des Regalienhabers l. c.

lorum indagatori secundum leges metallicas jus est. Jus autem commune metallicum et jam antiquae illae metallicorum leges cuidam, qui certis legis conditionibus satisfecerit, facultatem tribuunt poscendi, ut sibi ex libertate metallorum certus modus agri, legibus metallicis dimensus, ad opus metallicum exercendum a praefecto metallorum assignetur. Civitati omnino non licet, hanc facultatem negare. Quam sententiam omnes fere legum metallicarum codices totius Germaniae colunt et ipsum jus Borussicum commune P. II. tit. 16. §§ 154—157 ab hac opinione non alienum est, quum § 154 l. c. ita enunciatum sit: «Wer auf erhaltenen Schurfschein ein Stockwerk, Erzlager, Gang oder Flötz zuerst erschürft hat, *ist befugt* zu verlangen, dass ihm der Bau auf das entdeckte Werk innerhalb eines gewissen Distriktes vorzüglich vor allen andern ertheilt werde.» Jus metallicum Rhenanum et Franco. Gallicum solum illam sententiam non colit, quum ibi lege sancitum sit, ut respublica cuique ad arbitrium facultatem instruendorum metallorum tribuere possit, neque quisque jus poscendae facultatis habeat [1]). —

Deinde ii, qui superiore aetate doctrinam tractabant, falso proposuerant, omnia reipublicae jura, quae ad metalla spectarent, scilicet jus vectigalium exigendorum, metallorum concedendorum, publicae securitatis curae metallorum administrandae, metallicae jurisdictionis potestatem ex sola reipublicae proprietate metallorum nondum concessorum nasci. Quam ob rem rempublicam jus regale metallorum nec minus quodvis aliud jus privatum aliis personis cedere posse una cum omnibus illis juribus, quae semper ad reipublicae imperium pertinebant, necesse erat. Quae falsa doctrina etiam in Borussicum jus commune P. II. t. XVI. §§ 106– 107 recepta est [2]). Jus igitur regale metallorum secundum obsoletam illam metallicarum legum superioris aetatis opinionem ad jus privatum solum pertinet, ita ut et respublica et privatae personae metallorum jus regale obtinere possint, atque si in civitate respublica jus metallorum regale teneat, respublica illud jus a se alienare et privatis personis cedere possit. Decumae etiam metallicae, quum secundum illam opinionem natura juris regalis metallorum ad privatum jus spectaret, non publica vectigalia habebantur, sed veluti reipublicae ususfructus quidem privatus atque ideo jus Borussicum commune constanter convenienterque concedit, ut privatarum personarum

---

1) Cfr. Achenbach, Das französische Bergrecht. Zeitschrift für Bergrecht tom. I. p. 153 sqq. Köln 1860.

2) § 106. Das Bergwerksregal auf einem gewissen District oder auf ein bestimmtes Object kann gleich andern niedern Regalien von ***Privatpersonen und Kommunen*** erworben und besessen werden (Tit. II. § 24 fg.) § 107. Wem das Bergregal auf eine solche Art zusteht, dem kommen alle darunter begriffenen Rechte des Staates zu, welche bei der Verleihung oder durch Provinzialgesetze nicht ausdrücklich ausgenommen worden. Allg. Preuss. Landrecht II, XVI. § 106—107).

tranquilla possessio juris regalis metallorum, anno 1740 tanquam legitime rata, habebatur, sicut etiam et privatae personae jus metallorum regale praescriptione XLIV annorum acquirere possint [1]). Neque minus illa privata natura juris regalis metallorum reipublicae non permisit, ut lege ferenda jus regale metallorum in illa fossilia extenderetur, quae usque adhuc regalia non erant, quum hic privatum jus fundi possessoris contra privatum jus reipublicae poneretur. Quare etiam respublica ferrarios lapides in Silesia, carbones fossiles et nigros et fuscos in Saxonia, a fundi proprietate abstrahere et eos uti in ceteris reipublicae provinciis regales facere conari non potuit.

Auctores illarum metallicarum legum superioribus aetatibus compositarum in privata natura juris regalis metallorum ubique sibi constare et perseverare non poterant. Nam munus metallicorum praefectorum, qui ad administrandum metallorum jus regale instituti sunt, secundum vim illarum legum munus tantum privatum existimari arbitramur, sicut etiam ad privata praedia principis administranda tales praefecti instituuntur, Sed secundum Borussicum jus commune metallorum praefectura potius etiam publicus quidam magistratus est, non solum e privatis reipublicae praefectis, aut e reipublicae mandatariis collectus. Illis igitur metallorum praefecturis lege mandatum est, ut publicam metallorum curam jurisdictionemque exerceant, metallicas vindicationes e publicae utilitatis causa faciendas constituant, et summum reipublicae jus exercendae disciplinae custodiaeque et fodinarum et metallorum teneant. Quare denique mirum non est, quod, utroque reipublicae munere et privato et publico existente dijudicationes et acta metallorum praefecturae naturam quasi publicae legis, scilicet formam decreti, concessionis, mandati etc., accipiebant. Sed nihilominus et in jure Borussico communi et in ceteris superioris aetatis legibus metallicis privata natura juris regalis metallorum eo praevalet, ut quum privatae personae illud jus regale acquisiverint, etiam jus instituendae talis metallorum praefecturae cum iisdem muneribus, quales respublica eas habet, cedatur †).

XX. *Recentius jus regale metallorum* *). Sed vertentibus annis illa opinio jus regale metallorum privatae naturae esse, sensim ac paullatim obsolescere coepit et nova doctrina, quae ei contraria est, rempublicam juris regalis metallorum fructuosam partem abjicere atque sola illa metallicae amplitudinis jura, quae ad civitatis imperium utique pertinerent, scilicet jurisdictionis, publicae curae et vectigalium jura,

---

1) Cfr. Preuss. Allgem. Landrecht P. II, tit. 14 § 35, 38. — P. I. tit. 9 § 629 sq.

†) Cfr. Add. J.

*) Schomburg, Betrachtungen über die neuere deutsche Berggesetzgebung. Leipzig 1857 S. 71. — Achenbach l. c. — Klostermann l. c.

retinere debere, magis magisque auctoritatem suam interposuit. Vulgaris in dies opinio fiebat, commutatione rerum metallicarum opus esse, veluti cancellos, quibus adhuc opus metallicum circumdatum esset, tandem perfringendos esse atque metallariae industriae librum arbitrium potestatemque condonandum esse. Metalla enim prorsus solae privatae industriae esse committenda atque non avarioribus quam aliam artem, quaecunque sit, vectigalibus tributisque a republica premenda esse. Quo factum est, ut hic atque illuc reipublicae jus atque potestas denegetur, ut sibi certa territoria ad metalla publica instruenda reservare possit. Decumae metallicae non amplius privatus ususfructus reipublicae sed verae aurariae habebantur; metallorum praefectura posthac publicus vere magistratus, ad meras reipublicae amplitudines, utique ad imperium pertinentes, administrandas ducebatur et concessio denique metallorum existimabatur mera quaedam artis concessio, quum reipublicae munus esset, cuicunque, qui legis conditionibus satisfecisset, ubique locorum, ubi usque adhuc ager liber esset, fodinarum instruendarum concessionem dare. . . . . .

Huic omnium calamitati summum Borussicae reipublicae imperium diu resistere non potuit, et eo potius recentioris illius opinionis communis rationem ducere debebat, quam jam illae celeberrimae ambae leges d. d. 12. Maj. 1851, quibus ratio metalla privatorum personarum dirigendi sublata est, illam falsam juris regalis doctrinam repudiaverant. Atque ita factum est, ut denique sub titulo: «Allgemeines Berggesetz für die preussischen Staaten vom 24. Juni 1865» novus celeberrimus ille codex Borussici juris metallici promulgaretur, in perpetuum omni laude dignissimus, quippe qui ex omnium voluntate et communis opinionis auctoritate emanaverit.

XXI. *De novissimo codice juris Borussorum metallici* *). Quae quum ita essent, communis opinionis auctoritas novissimo tempore, quum jus regale metallorum magnae metallicae industriae incrementis obtrectare intelligeretur, effecit, ut illa jura, quae adhuc ex jure regali metallorum ad rempublicam pertinuerant, in mera metallicae amplitudinis reipublicae munera nempe in jurisdictionis, publicae curae et vectigalium jura restringerentur, et ita tandem jus regale metallorum plane amoveretur. Nova enim Borussica metallorum lex jus regale metallorum

---

*) Cfr. Klostermann l. c. — †) Koch, Allgemeines Berggesetz für die preussischen Staaten nebst Motiven und Landtagsverhandlungen sowie den dazu erlassenen ergänzenden Bestimmungen mit Kommentar. Berlin 1870. — Oppenhoff, Das Allgemeine Berggesetz für die preussischen Staaten unter steter Vergleichung seines Textes mit denjenigen des Braunschweigischen, Meiningenschen, Gothaischen und Bayerischen Berggesetzes. Berlin 1870.

prorsus abrogatum tenet[1]), id quod e codicillis: «Motive zu dem allgemeinen Berggesetz für die preussischen Staaten. Berlin 1865» inscriptis colligi potest. Quae igitur nova metallica lex integerrimae operis metallici libertati, quae in posterum sola juris communis metallorum fundamentum etiam per totam Germaniam esse debet, favet, quum immo etiam in § 2 novae legis enunciatum sit: *„Der Erwerb und Betrieb von Bergwerken für Rechnung des Staates ist den Bestimmungen des gegenwärtigen Gesetzes ebenfalls unterworfen."* Attamen illa nova lex Borussica non dijudicare vult[2]) illud antiquum jurisconsultorum certamen, utrum fossilia nondum occupata res nullius sint[3]), an integrae quaedam atque juridico sensu inseparabiles fundi partes, ad quae quidem metalla instruenda respublica semper concessionem artis tribuere debeat, putanda sint[4]), quum § 1 novae legis nil nisi hoc loquitur: «Die nachstehend bezeichneten Mineralien sind von dem *Verfügungsrechte* des Grundeigenthümers ausgeschlossen. Die Aufsuchung und Gewinnung derselben unterliegt den Vorschriften des gegenwärtigen Gesetzes." Quae igitur paragraphus etiam ita intelligi potest, ea sanciri coercitionem quamdam legitimam fundi proprietatis i. e. servitutis cujusdam legalis ferme speciem, quae fundi proprietario facultatem tantum abjudicaret, metalla in fundo suo sine reipublicae permissione inveniendi et instruendi. Et altero modo interpretari pos-

---

1) Attamen privilegia atque jura adquisita earum personarum privatarum, quibus prioribus temporibus jus regale metallorum concessum est, § 250 novissimi codicis Borussorum metallorum reservata sunt.

2) „Lediglich der wissenschaftlichen Thätigkeit muss es überlassen bleiben, die den Vorschriften des Berggesetzes znm Grunde liegenden Motive zu entwickeln, die Begriffe und das System aus diesen Vorschriften zu konstruiren. Das Berggesetz selbst hat um so weniger Veranlassung, sich auf dieses Gebiet theoretischer Erörterungen zu begeben, als gerade hier die Meinungen sich noch nicht geeinigt haben und namentlich darüber auseinander gehen, wie der Akt der Erwerbung des Bergwerkseigenthums und letzteres selbst rechtlich aufzufasssen und ob davon auszugehen sei, dass die dem Berggesetze unterworfenen Mineralien als herrenlose Sachen, oder so lange sie sich noch ungewonnen auf ihren natürlichen Lagerstätten befinden, als Bestandtheile des Grundes und Bodens angesehen werden müssen. Das Berggesetz als solches hat keine von den sich widerstreitenden wissenschaftlichen Ansichten zu vertreten, vom Standpunkte desselben genügt es vielmehr, dass die zu ertheilenden positiven Vorschriften einestheils ihre auf den rechtlichen und wirthschaftlichen Bedürfnissen des Bergbaues beruhende Berechtigung in sich tragen und anderentheils so abgefasst sind, dass den theoretischen Erörterungen zwar freier Spielraum gelassen, jedoch hierdurch keine Rechtsunsicherheit und sonstige Nachtheile für das practische Leben hervorgerufen werden. Für die Handhabung des Berggesetzes ist es das Wichtigste, dass darüber kein Zweifel bestehen bleibt, welche Befugnisse und Verpflichtungen sich für den Bergbau Treibenden aus der vom Staate verliehenen Bergbauberechtigung ergeben und in welchem Umfange ferner die allgemeinen Grundsätze über das civilrechtliche und speciell das Grundeigenthum auf diese Bergbauberechtigung Anwendung erleiden sollen." Cfr. Motive etc. l. c. p. 22 sq.

3) Cfr. Klostermann l. c. p. 77 sq. — Strohn, Bemerkungen über den vorläufigen Entwurf eines allgemeinen Berggesetzes für die preussischen Staaten. Berlin 1864 p. 7 sq.

4) Cfr. Achenbach, Bergregalität und Bergboheit in Preussen l. c. p. 73.

sumus, illa fossilia nondum occupata a cetera fundi proprietate segregata et usque ad reipublicae concessionem res nullius putanda esse. Nos autem, quum jus regale metallorum nova Borussica lege abrogatum sit, dubitare non possumus, quin fossilia nondum occupata per se integras atque juridico sensu inseparabiles partes fundi esse et proprie esse fundi proprietarii, quia § 1[a] novae metallorum legis fundi proprietario sola fossilium potestas, («das Verfügungsrecht»), abjudicatur. Ceteroquin artificiosa et obscura paene illa opinio est, alia fossilia, lege a fundi proprietate segregata, res nullius esse, et alia in lege non nominata fossilia partes integras fundi esse atque in fundi proprietarii possessione versari [1]). Legitima autem haecce opinio esse videtur, quae proponit, nova lege solum legalem quamdam servitutem metallicae libertatis causa creari, ita ut proprietarius, qui certa metalla in fundo suo versantia instruere velit, antea a civitate artis exercendae concessionem poscere debeat, aut quum ipse metalla instruere nolit, ut idem fundi proprietarius pati debeat, metalla in fundo suo versantia ab aliis, quibus respublica concessionem artis tribuerit, instrui †).

XXII. *Conclusio.* Jam vero in iis Germaniae civitatibus, in quibus adhuc secundum legem jus regale metallorum valet, auctoritate communis opinionis et vi consuetudinis jus metallorum regale naturam illam privatam jampridem amisit. Nam hic quoque metallorum publica donatio veluti artis concessio, metallicae decumae veluti merae aurariae, metallorum praefectura veluti publicus magistratus ad solas metallicas reipublicae amplitudines, utique ad imperium pertinentes, administrandas, intelligitur. Nec vero longe illud tempus aberit, quo non minus in illis quoque civitatibus, quam apud Borussos, communi populi opinionis et omnium sollicitudinis rationem reddi necesse erit atque jus regale metallorum, desuetudine jam pridem obsoletum, lege ferenda abrogabitur.

Berolini d. 15 m. Decembr. 1865.

* * *

Quum mense Decembri anni 1865 articuli praecedentis verba composueram, ea paullo post exitu comprobatura esse, meherculc non putabam. Nam jus metallorum regale, quum codex novissimus juris metallici Borussorum in majore Germaniae parte, postquam Hannovera, Hassia-Nassovia, Sleswicum Holsatiaque a. 1866 in provinciarum Borus-

---

1) Complura de hac re invenies subtilissime disputata apud Achenbach l. c. p. 71 sq.

†) Nuperrime hanc rem tractavit Stündeck l. c. p. 28 sq. et Commer, qui in dissertatione citata naturam ac vim dominii ex jure metallico adquisisti historice et dogmatice exposuit. Cfr. etiam Achenbach, Das gemeine deutsche Bergrecht § 28.

†) Cfr. Addit. K.

sicarum formam redactae sunt, legis vim obtinuerit et etiam in regno Saxonico [1]), in Bavaria [2]), in Brunswigia [3]) et in aliis Germaniae territoriis [4]) leges metallorum novae, codici Borussorum similes et consentaneae, promulgatae sint, exiguam nunc vim et auctoritatem in Germania habet. Ac tempus non multum aberit, ut novum Borussorum jus metallicum lege ferenda commune Germaniae jus fiat et ita regale jus metallorum in illis quoque Germaniae terris, ubi adhuc existit, propediem legaliter abrogabitur.

Additamenta et adnotationes.

A) ad §§ IV—V. p. 10—27.

Commerus [5]) inutile esse putat, Romanorum juris metallici principia hac occasione fusius investigari, quum Romanum et Germanicum metallicum jus nullatenus inter se cohaereant, etiamsi contraria opinio non rara atque in judiciorum [6]) quoque sententiis nonnunquam valuerit. Sed tamen id nos compellere debet, ut jus metallorum Romanum eo diligentius exquiramus, quod alio modo de utraque opinione, quaenam justa sit, sententiam ferre non possumus. Nimirum hoc semper certum est, permulta metalla in nonnullis terris sita, exempli gratia in Pannonia, in Norico, in Raetia, in Gallia Rhenana atque in Britannia, — qua in terra media aetate metallicorum consuetudines Germanicis consentaneae ac similes valebant, — originem usque ad Romanorum aetatem trahere posse. Qua ex causa, quum nonnulla metalla nunquam prorsus intermitterentur, jam fieri potuit, ut statuta atque consuetudines metallariorum ex Romana aetate usque ad nostra tempora conservarentur. — Klostermannus [7]) quidem illas Theodosiani codicis constitutiones in nascente operis metallici libertate perscrutanda permagni momenti esse non ignorat, quarum duae in codice Justinianeo et earum gravissima in Breviario Alariciano receptae sint, ita ut et in Orientali et in

---

1) Berggesetz für das Königreich Sachsen. Vom 16. Juni 1868. Quam legem invenies in Zeitschrift für Bergrecht Bd. 9. Bonn 1868. S. 487—548.

2) Berggesetz für das Königreich Baiern. Vom 20. März 1869. Cfr.: Zeitschrift für Bergrecht Bd. 10. Bonn 1869 S. 177 sqq.

3) Berggesetz für das Herzogthum Braunschweig. Vom 15. April 1867. Cfr. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 8. Bonn 1867 p. 275 ssq.

4) Berggesetz für das Herzogthum Sachsen-Meiningen. Vom 17. April 1867. Cfr. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 9. Bonn 1868 p. 318 ssq. — Berggesetz für das Herzogthum Gotha. Vom 16. Aug. 1868. Cfr. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 9. Bonn 1868 p. 436 sq. — Berggesetz für die Fürstenthümer Waldeck und Pyrmont. Vom 1. Januar 1869. Cfr. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 10. Bonn 1869 p. 143 ssq. Berggesetz für das Herzogthum Lauenburg. Vom 6. Mai 1868. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 9. Bonn 1868 p. 289 sqq.

5) Cfr. Commer, Exponitur etc. dissertatio Berolini 1868 p. 1. 83.

6) Complura hujusmodi judicia Commerus commemorat l. c. p. 84. not. e.

7) Klostermann, Lehrbuch etc. Berlin 1871 p. 3 sqq. Achenbachius in Romanorum imperio unquam liberum opus metallicum exstitisse omnino negat. Cfr. Achenbach, das französische Bergrecht etc. Bonn 1869. S. 13 ssq.

Occidentali imperii Romanorum parte, praesertim in Macedonia, in Africa, in Gallia, legalis quaedam fundi privati coercitio liberi operis metallici gratia per duo saecula exstiterit. Illas autem constitutiones non in marmoreis solum, sed in aliis etiam metallis, in aeris fodinis (in cautibus et saxorum venis) polluisse verisimile esse [1]). Sed tamen nostrorum metallicorum consuetudines atque liberae metallorum exercitationis instituta nihilominus non in Romanorum, sed in Germanorum terra orta esse, quamobrem illae Theodosianae constitutiones apud Germanicos metallicos nullam vim atque auctoritatem unquam obtinuerint. Liberam enim metallorum exercitationem jampridem ante juris Romani in Germania receptionem in patria nostra valuisse. — Jam vero equidem Klostermanni, viri doctissimi, argumentationes longius petitas esse puto. Etiamsi liberum opus metallicum jam ante juris Romani receptionem in Germania polluise constat, nihilominus tamen, quum in nonnullis Romanorum pristinis provinciis metalla a Romanorum usque ad nostram aetatem nunquam plane intermitterentur, semper fieri potuit, ut ibi illa Romanorum legalis fundi privati coercitio diutius, quam per duo saecula, conservaretur, atque ita Germanicorum cum Romanorum metallariorum consuetudines cohaererent. Cur autem XII° saeculo denique prima vestigia liberi operis metallici in Germania inveniantur, XIII° vero saeculo liberae metallorum exercitationis instituta in Germania ubique terrarum jam polluerint, inde explicari potest, quod illis temporibus, metallis denuo efflorescentibus, ex antiquis metallorum terris in mediam Germaniam metallici ad nova metalla instruenda migrabant atque vetusta metallorum statuta et consuetudines secum adportabant. Maxime autem incredibile est, in mediae Germaniae terris, in Saxoniae marcis scilicet, ubi adhuc metalla prorsus ignota erant, subito illae metallicorum consuetudines ortas esse et intra saeculum non solum per totam Germaniam, sed etiam in vicinas terras, jam propagatas esse. Huc accedit, ut in nonnullis Britanniae regionibus, in Cornubia scilicet et in Devonia, quibus in terris stannifodinas jam a Phoenicibus et Romanis [2]) instructas esse constat, XII° post Christum saeculo liberi operis metallici instituta atque aliae metallicorum consuetudines Germanicis omnino similia atque congrua antiquitus jam exstiterint. Hujus rei testis est «Charta stannariarum Domini regis,» in qua anno 1198 Ricardus I. vectigalia stannifodinis imposita disponit [3]). Initio autem hujus chartae ita enunciatum est: Omnes foditores et nigri stanni emtores et de stagno primi fusores habeant

---

1) Cfr. § IV, p. 17 not. 1 hujus opusculi. — 2) „Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae“ (Cfr.: Tacit. Agricola c. XII.)

3) Cfr. Nasse, Geschichtliches über die Regalität der edlen Metalle in Grossbrittannien Zeitschrift für Bergrecht Band 11. Bonn 1870 p. 172—184.

ustas et *antiquas* consuetudines et libertates in Devonia et Cornubia constitutas.» Atque, quum anno 1287 Eduardus I. rex libertates atque jura, quae a Devoniae et Cornubiae metallariis postulabantur, inquiri jusserit, num justa essent, syngrapha testabatur, liberam plumbi fodinarum exercitationem antiquum et vetustum jus esse, de cujus instituti origine homines memoriam non conservassent [1]). Alias etiam syngraphas exinde ab initio XIII[i] saeculi compositas, quarum seriem apud Nasse suo loco invenias, citare possimus, quibus vetustas illarum metallariorum consuetudinum in Britannia apparet. Quare, quum omnia XII[i] et XIII[i] saeculi documenta, etsi in diversissimis Britanniae et Germaniae regionibus composita, jura atque consuetudines metallicorum jam dudum exstitisse testentur, ea multo remotioribus temporibus, quam Klostermannus putat, orta esse patet.

B) ad § VI. p. 27—29.

Nuperrime Achenbachius etiam Rhenanum metallorum antiquum jus, quod ex XV[i] et XVI[i] saeculi documentis, vetusta metallariorum Rhenanorum jura atque consuetudines complectentibus, hausit, in memoriam reduxit [2]).

C) ad § VII. p. 29—30.

Achenbachius institutum liberi operis metallici in antiquis Germanorum societatibus, quae appellentur «Markgenossenschaften», ortum esse dicit [3]). In illis enim societatibus omnia praedia, domibus et circumjacentibus agris privatis exceptis, sociis communia erant. Praeter fundos enim, qui sociis ad utendum fruendum quotannis distribuebantur, permagnae terrarum plagae, plerumque ex silvis, pratis fundisque montuosis constantes, sociis non admetiebantur, sed in eorum communi usu permanebant. Quarum plagarum possessionem posteriore tempore reges ad se vindicabant, nihilominus autem tunc quoque illae plagae plerumque in communi civium usu erant. His in marcis autem, inquit Achenbachius, liberam metallorum exercitationem sicuti ceterae metallicorum consuetudines ortam esse. Nam maxime verisimile esse, metalla in marcarum territorio versantia velut ceteros praediorum fructus in communi sociorum usu fuisse, quum nimirum sub simili modo et conditione etiam nostra aetate, in vastis scilicet Americanae reipublicae septentrionalis territoriis, quae adhuc in indivisa reipublicae possessione permansissent, liberum opus metallicum denuo radices cepisset [4]). Cetero-

---

1) Cfr. Nasse, Geschichtliches über die Regalität der edlen Metalle in Grossbritannien Zeitschrift für Bergrecht Band 11. Bonn 1870 p. 174, not. 1. — 2) Cfr. Achenbach, Das gemeine deutsche Bergrecht etc. §§ 21—25. p. 58 ssq. — 3) Ibidem p. 29 ssq.

4) In § 1 novi codicis metallorum Americanae reipublicae septentrionalis anno 1866 die 26. Jul. m. promulgati ita enunciatum est: Alle Erze enthaltende Ländereien der öffentlichen Domaine, sie mögen vermessen sein oder nicht, werden hiermit frei und offen erklärt zur Untersuchung und Besitznahme seitens aller Bürger.“ Cfr. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 9 p. 398 Bd. 11 p. 39 ssq.

quin jam nomine «silvani», quo media aetate metallarii hic atque illuc et in Germania et in Hungaria appellarentur, probari, olim metallarios societates ad silvarum marcas utendas fruendas formasse. Neque minus, liberi operis metallici instituta in marcarum societatibus orta esse, eo demonstrari posse, quod in nonnullis etiam posterioris aetatis metallorum documentis jus liberae exercitationis metallorum incolae alicujus oppidi aut vici soli habuerint. Consuetudines autem, quae his in marcarum Germanicarum locis ortae essent, ubique locorum in alias regiones per metallarios, ad nova metalla instruenda migrantes, translatas et denique jus commune factas esse. Atqui liberi operis metallici jus postea in fundum etiam privatum translatum esse, inde explicari posse, quod reges et domini territoriales et salutis publicae causa et ad reditus suos augendos metalla auctoritate sua foverent atque in legibus metallicis componendis hanc infinitam paene operis metallici libertatem sancirent. Sed permultis in locis fundi possessoris primarium jus eo etiam cognosci posse, quod ei condominium metallorum instruendorum pro parte quadam indivisa lege adjudicatum esset. Quae autem fundi domini jura in legibus principum territorialium, posterioribus temporibus compositis, plerumque plane liberi operis metallici gratia neglecta esse. Jam equidem sane profiteor, propositam de liberi operis metallici origine Achenbachii opinionem, quam illustrissimus auctor loco suo permultis documentis illustravit, propter probabilitatem suam magnam vim habere, sed tamen altera opinio, quam equidem denuo proposueram, nondum prorsus refutata, etsi minus probabilis nunc facta est. Adhuc enim nondum litterarum monimentis constat, quando et quanam in regione liberum opus metallicum ortum sit, neque *documentis* demonstratum est, num metallorum liberum exercitationis jus re vera omnibus marcarum sociis commune fuerit. Atque profecto mirum est, quod denique in XII[i] et XIII[i] saeculi litterarum monimentis, et in Germaniae et in Britanniae regionibus compositis, primum liberi operis metallici instituta offendimus, verumtamen nec barbarorum leges, nec Carolingorum aetatis documenta, nec cetera usque ad secundam XII[i] saeculi partem litterarum monimenta, quibus autem temporibus marcarum societates quam maxime vigebant, de libero metallorum opere, a marcarum sociis exercito, mentionem faciunt. Atqui illis temporibus metalla instructa esse, jam ex documentis ante Carolingorum aetatem et ex posterioribus patet. Omnes hae difficultates, quae nobis in mentem veniunt, primum auferri necesse est, antequam de liberi operis metallici origine certam sententiam ferre possimus. Ceterum paene dubitari non potest, quin, quum omnia illa de metallariorum consuetudinibus litterarum monimenta, eodem fere tempore composita, easdem etiam sententias de libera metallorum exercitatione profiteantur, origo harum consuetudinum metallariorum una

eademque sit et praecipue in iis regionibus, ubi metallorum exercitatio antiquissima erat, in Danubii inferioris scilicet vel Rheni plagis investiganda sit. Achenbachius quidem metallicorum consuetudines in Rhenanis regionibus potius, quam in Danubii plagis ortas atque ex occidentalibus in orientales et vicinas Germaniae terras translatas esse putat. Atqui, etiamsi Rhenana metalla eandem fortasse aetatem uti illa in Danubii regionibus sita habent, quum nimirum utraque a Romanis jam exercerentur, adhuc litterarum documentis probari non potest, a Rhenanis metallariis remotis his temporibus illas consuetudines in Danubii regiones vel in Britanniam translatas esse, sicut nempe contraria opinio ex orientalibus regionibus in occidentales illas quondam migrasse, syngraphis etiam probari non potest. Sed notatu omnino dignum est in orientalibus regionibus jus metallicorum prius, quam in occidentalibus Germaniae terris litteris mandatum esse. Neque minus admodum memorabile est, easdem fere metallicorum consuetudines eodem tempore et in Britannia et in diversis Germaniae regionibus polluisse. Achenbachius quidem a Rhenanis metallariis illas in Britanniam translatas esse putat, sed temporibus Henrici VI. (1452) et Elisabethae reginae Germanicos metallarios in Brittanniam migrasse, non autem illis remotis temporibus, e litterarum monimentis apparet. Attamen in Britannia illis temporibus easdem marcarum societates uti in Germania polluisse constat [1]). Quum autem remotis jam temporibus Germanicae stirpis gentes in Britanniam migraverint, Germanos illas metallicorum consuetudines istuc adportasse, aut ibi eas jam vigentes invenisse, necesse est. Sed quum de his rebus litterarum monimenta sileant, certam opinionem habere non possumus. Hoc solum dubitari non potest, quin metalla et in Britannia et praeter Rhenum et praeter Danubium inferiorem sita jam a Romanis exercita, neque unquam plane intermissa sint. Quibus autem in locis antiquas metallariorum consuetudines ab illis usque ad nostra tempora semper fere easdem fuisse ac omnino conservatas esse, maxime verisimile est. Quare illa opinio prorsus mihi non aliena est, metallicorum consuetudines et in Britannia et in Rheni et in Danubii regionibus ex antiquissimis Romanorum temporibus omnino semper easdem fere mansisse in marcarum autem societatibus quam maxime excultas atque expolitas esse. —

Omnibus mirum est, omnia illa metallicorum antiqua jura atque consuetudines, in diversissimis terris vigentia, non solum paene inter se congrua atque similia, sed etiam tam celerrime per totam Germaniam et in vicinis etiam terris propagata esse. Commerus [2]) quidem

---

1) Cf. Nasse, Ueber die mittelalterliche Feldgemeinschaft etc. in England. Bonn 1869. — Maurer, Ueber die angelsächsische Markenverfassung. Zeitschrift für deutsches Recht Bd. 16. Tübingen 1856 S. 201. — 2) Cfr. Commer, Ueber den Bergbau der Klöster im

hanc rem fortasse etiam eo explicari posse putat, quod illis temporibus plurima metalla ad monasteriorum proprietatem pertinerent. Nam omnium syngrapharum, quae deinde a VII° usque ad finem XIII[i] saeculi de metallis in Germania institutis nobis traditae essent, dimidiam alteram partem de coenobiorum, alteram de episcoporum et de principum saecularium tantum metallis loqui, Commerus nos commonefacit. Nimirum illis temporibus permagnos fundos ad monasteria pertinuisse satis notum esse neque minus monasteria in metallis exercendis non solum viam ac rationem ad vastos agros colendos, sed etiam ad fenus reddendum reperisse. Quibus ex causis coenobia primaria atque materna, inquit Commerus, monasteriis filiis, praecipue in Germania septentrionali institutis, metallarios ad nova metalla, his in terris instruenda, transmittebant. Quum autem illi metallarii proprium metallicum jus in illas regiones adportarent, metallicorum consuetudines ita quoque, coenobiis adjutoribus, ubique terrarum propagatas esse. — Quam quidem doctissimi Commeri opinionem maxime probabilem esse, puto.

D) ad § VIII. p. 30—31.

Non solum e vectigalium exigendorum jure fiscali regale jus metallorum ortum est, sed etiam vis ac ratio temporis maxime effecerunt, ut illud regale metallorum jus fundaretur atque stabiliretur [1]). Satis enim constat, prima metalla, quae in Germanorum imperio instruebantur, in fundo regali vel in fundo opulentorum privatorum exercita esse, propterea quod metallorum usus magnum apparatum et non parvas opes postulabat. Metalla autem, in incultis imperii plagis atque in silvis montuosis reperta, reges, quum illa territoria adhuc non occupata ad se et ad imperii jura pertinentia vindicarent, privatis personis vel principibus ecclesiasticis saecularibusque vel coenobiis exercenda plerumque tradebant aut donabant. Atqui, quum illis turbulentissimis temporibus quaevis privatorum possessio eo firmior atque securior esse videretur, si imperiali auctoritate ornabatur, non rarum erat, ut privatae personae justam suam possessionem a rege confirmandam et in feudum etiam tribuendam curarent. Quae autem privatorum consuetudo possessionis metallicae confirmationem a rege petendi denique vertentibus annis stabilis atque communis norma facta est. Quid igitur mirum, reges denique putasse, neminem justam metallorum possessionem habere, cui id jus ab imperio non tributum esset! Atqui sicut jus metallorum regale hoc modo in Germania primas radices cepit, ita etiam in Bohemia, in

Mittelalter. Historisch-Politische Blätter von Jörg und Binder Bd. 64. München 1869 S. 297—315.

1) Cfr: Achenbach, Das gemeine deutsche Bergrecht etc. § 25 ssq. — Commer, Ueber die Entwickelung des Bergregals etc. l. c. p. 376 ssq.

Moravia et in aliis terris jus regale illud ortum esse, maxime verisimile est. Atque, quum omnes fere metallorum collationes illis temporibus ipsis ecclesiasticis principibus atque monasteriis ab imperatoribus factae essent, Grüterus imperatores jure advocatiae ecclesiasticae ad metallorum jus regale fundandum atque firmandum abusos esse putat [1]). Quod autem ita factum esse, ut imperatores monasteriis metallorum jus primum adimerent, deinde ut regale jus redderent. Ita nonnullos Bavariae abbates ab imperatoribus prius, quam archiepiscopum Salisburgensem, et prius etiam Bavariae duce, regali metallorum jure donatos esse. Saeculares autem principes, uti Bohemiae reges, Moraviae, Silesiae, Austriae, Tyrolidis duces, illo tempore, quo ecclesiasticis principibus imperatores regale metallorum jus tradidisse, nonnunquam metalla sine imperatorum vexationibus exercuisse atque aliis personis tradidisse. — Quatenus autem illa Grüteri, viri doctissimi, opinio de imperatorum erga monasteria metallorum collationibus fundata sit, equidem non decerno. Illud vero ejus dictum [2]), liberum opus metallicum e regali metallorum jure, quod penes principes territoriales erat, emanasse, non probo, sed falsissimum esse puto, quum jam in illis antiquis XIII[i] saeculi legibus metallicis perquirendorum metallorum copia cuique daretur et «mons omnibus, tam pauperi, quam diviti communis» esset.

Multo priore etiam aetate, quam in Germania, et jus regale metallorum et liberum opus metallicum in nonnullis Britanniae marcis jam stabilitum esse videtur. Joannes enim rex jam anno 1201 d. 29. Octobr. jus regale stannifodinarum in Cornubia et Devonia sitarum in syngrapha, quam etiam anno 1251. Henricus III. rex confirmavit, ad se vindicat atque metallariis concedit, ut ubique locorum in moris et in feodis episcoporum et abbatum comitatuum, sicuti antiquitus solebant atque consueverant, stannarias instruere possent [3]). Simili modo Eduardus I. rex d. 10. April. a. 1305 in syngrapha loquitur [4]). Inventa autem

1) Cfr: Grüter l. c. p. 28 sq. — 2) ibidem p. 39.

3) „Sciatis nos concessisse, quod omnes stannatores nostri in Cornubia et Devonia sint liberi et quieti de placitis nativorum, dum operantur ad commodum firmae nostrae vel commodum *marcarum* novi reditus nostri, *quia stannariae sunt nostra dominica.* Et quod possint omni tempore libere et quiete absque alicujus hominis vexatione fodere stannum et turbas ad stannum fundendum *ubique in moris et in feodis episcoporum et abbatum comitatuum sicut solebant et consueverunt* et emere buscam ad funturam stanni sine vesto in regardis forestarum et divertere aquas ad operationem eorum in stannariis *sicut de antiqua consuetudine consueverunt.*“ Cfr. Nasse, Geschichtliches etc. l. c. p. 173.

4) „Concessimus etiam eisdem stannatoribus, quod fodere possint stannum et turbas ad stannum fundendum ubique in terris, moris et vastis nostris *et aliorum quorumque* in comitatu praedicto et aquas et cursus aquarum ad operationes stannariorum praedictorum divertere, ubi et quotiens opus fuerit et emere buscam ad funturam stanni *sicut antiquitus fieri consuevit* sine impedimento nostri vel haeredum nostrorum, episcoporum, abbatum, priorum, comitum, baronum, seu aliorum quorumcunque“. Cfr. Nasse l. c. p. 174.

Hiberniae cujuscunque generis metalla idem rex jam anno 1276 occupari et sumptibus suis instrui jusserat [1]). Itidem Henricus ille III., postquam anno 1262 d. 23. Nov. jus regale auri, argenti et cupri fodinarum in Devonia sitarum acerrime ad se vindicaverat [2]), eodem etiam anno nuper in Devonia repertas argenti, cupri et plumbi fodinas occupavit et eas aut regalibus sumptibus exerceri aut elocari jussit [3]). Atque etiam sequentes Britannorum reges auri et argenti metalla semper ad jus regium vindicabant et ea tantum aera, quae auri et argenti speciem non continebant. fundi possessoris juri subdita erant. Posteriore autem aetate anno 1688 lege sancitum est, ut abhinc cupri, stanni, plumbi et ferri metalla atque etiam ea aera, quae auri et argenti speciem continerent, ad jus regale amplius non pertinerentur [4]). In Scotia autem, quae terra anno 1424 in Britannici regni formam redacta est, jus regale metallorum, quamvis reges illud ad se vindicare conarentur, nunquam plane agnoscebatur. Fundi vero possessori ibi jus est poscendi, ut sibi cujusvis generis metalla a rege concedantur, quam quidem juris sententiam judicium, anno 1750 latum, proposuit [5]). Quomodo autem liberum metallicum opus in antiquis Britanniae marcis exercitum sit, ex illis litteris patet, quibus nonnulli Devoniae cives apud Eduardum III. regem anno 1327 queruntur, quod metallarii jus metallorum etiam sub domibus et agris cultis exercendorum ad se vindicarent. Petitores enim proponunt, a prioribus regibus metallariis solum concessum esse, ut stannum in fundo inculto et regio, non autem in fundo privato fodere possent. Nunc autem a metallariis non solum civium habitationes, agros, silvas et prata subverti, sed etiam aquarum cursum molinarum metallorum gratia deduci [6]). Quid autem rex ad has litteras querulas responderit, nescimus, quod maxime dolendum est. Sin vero res ita se haberet, ut scilicet priores reges metallariis liberum opus metallicum solum in fundo inculto atque regio permisissent, illa Devonensium civium verba maximi momenti essent, ad originem, vim et naturam operis liberi in Britannia illustrandas, neque minus ex illis appareret, in quanam relatione hoc institutum ad jus metallorum regale illis temporibus fuisset. Sed illa dicta nullam amplius vim habent, si ea cum syngraphis jam citatis, a Britannorum regibus annis 1198, 1201, 1251, 1262 editis, componimus, ex quibus enim patet, liberum opus

---

1) Ibidem.

2) „Quia sicut intelleximus, in terris nostris et *aliorum* in comitatu praedicto (i. e. Devonia) jam inveniuntur aurifodinae et cuprifodinae ac *ad dignitatem regalium nostrorum et non ad alium* hujusmodi fodinae in regno debeant pertinere, tibi praecipimus, firmiter injungentes, quod aliquem vel aliquos hujusmodi fodinarum seisinam sibi occupare aut appropriare non permittas, donec inde providerimus, quod de jure fuerit providendum.“ Cfr. Nasse l. c.

3) ibidem. — 4) ibidem. — 5) ibidem — 6) ibidem.

metallicum etiam in fundo feudali et alieno jam antiquum et vetustum jus fuisse.

E) ad §§ IX—XV p. 31—50.

Solum exempli gratia seriem earum tantum syngrapharum, quae ad jus regale metallorum spectant, in opusculo meo equidem composui, omnes enim afferre nolui, et ea litterarum monumenta praecipue neglexi, quae ad rem meam directe non pertineant. Quare non praetermitto, quin praeter illa opuscula jam suo loco citata etiam recentiora, Grüteri, Commeri Achenbachii, Nassei scripta, laudo, ubi longam litterarum monimentorum ad rem meam spectantium seriem invenies.

F) ad § XI, 1 p. 39.

Constitutionem: «Quae sint regalia» ad jus metallorum regale confirmandum et stabiliendum, permultum attulisse, quis est qui ignoret! Commeri [1]) autem opinionem, ante illius constitutionis emanationem proprium jus metallorum regale imperatores non postulasse, sed solum privatis personis jus possidendi (scilicet metalla jam reperta aut invenienda) confirmasse, equidem comprobare non possum. Jam antea enim imperatores jus regium metallorum, quod ad imperium solum pertineret, postulaverant, neque minus dictincte Fridericus I. imperator in documento, quo jus metallorum Hillino, archiepiscopo Trevirensi, conceditur, de jure regali metallorum, quod *cum ceteris regalibus de judicio principum* ad se pertineat, loquitur [2]). Quae quidem syngrapha eodem anno veluti Constitutio «Quae sint regalia» composita est. Ceterum Commeri et Achenbachii opinionem de juris regalis metallorum origine comprobo.

G) ad § XI, 2 p. 41.

In loco Speculi Saxonici I., 35 explicando hodie omnes pene scriptores in eo consentiunt, quod in articulo primo de thesauris, in secundo autem de metallis agitur. Sunt quidem, et in his nuper etiam Grüterus, qui putent, Eikium consulto et cogitate in hoc articulo dubie scripsisse [3]). Commerus proponit, Speculi auctorem in articulo suo componendo Saxonum oppositionem contra jus regale metallorum significare voluisse, quum thesauros, qui tunc ad regis jus jam pertinuissent, imperio, metalla autem fundi possessori adjudicasset [4]). Verbo enim «vogedie» omnia et singula fundi possessoris jura, quae in aliis regionibus alia fuissent, significari [5]). Sed tamen, ut Commeri opinionem probare possimus, Speculi Saxonici locum cum similibus articulis Löwenbergensis et Goldbergensis aurifodinarum juris componamus [6]). Aurifodinarum

1) Cfr. Commer, Ueber die Entwicklung etc. l. c. p. 386 sq. — 2) Hanc syngrapham invenies p. 35 not. 2 hujus opusculi.

3) Cfr. Grüter l. c. p. 32 sq. — 4) Cfr. Commer l. c. p. 390 sq. — 5) ibidem p. 396.

6) Cfr. Steinbeck, Geschichte des schlesischen Bergbaues Bd. I. p. 79 sq., quo loco et Goldbergense et Löwenbergense aurifodinarum jus compositum est.

enim jura atque consuetudines, quae his in Silesicis codicibus composita sunt, jam anno 1232 in pacto Culmensi commemorantur, etiamsi multis annis post denique literis mandata sunt. Secundum jus Löwenbergense jus metallorum in fundo regali nemini nisi principi licebat. Privatus autem ad metalla in fundo suo proprio exercenda concessionem a metallorum praefecto, qui «Wassermeister» appellabatur [1]), petere debebat, si autem sine permissione metalla exercebat, cuivis aliae personae quoque jus metallorum in fundo ejus erat [2]). Atqui si in fundo alieno privatus metalla exercere volebat, et metallorum praefecti et fundi possessoris permissionem antea habere debebat [3]). Si fundi possessor hanc permissionem tribuerat, ei a metallorum instructore quarta pars metallorum repertorum (vier virteil) cedebatur. In cultis autem alienis agris metalla exerceri vetitum erat [4]). — Invenimus igitur in Silesicarum fodinarum jure etiam duas personas, quarum permissio ad metalla exercenda opus est, nimirum fundi possessorem et metallorum praefectum, qui, quum a domino feudi institueretur, ejus locum tenebat. Atque eo potius rem ita se habere puto, quod cives Goldbergenses in testimonio quodam, quod de jure metallico, quo utebantur, reddiderunt, illud jus «lehenschaft» aut «lehen» appellantur [5]). In articulis Speculi Saxonici et codicum Silesicorum, quod attinet ad jus metallicum, easdem fere sententias de metallorum advocatia, quam dominus feudi tenet, ergo invenimus. Syngrapham, quam Commerus de metallorum instructione in fundo ecclesiae Havelbergensis citavit [6]), me in opinione mea confirmavit. Anno enim 1549, quo quidem tempore jus regale metallorum jam opulentissime vigebat, in fundo ecclesiae Havelbergensis sine praepositi et decani permissione subito metalla instruebantur. Quare ecclesiae decanus, duobus canonicis adjutoribus, metallorum instructores in jus vocavit et opus novum nuntiavit. Sed quum res ecclesiae non bene verteret, partes litem transactione, qua

---

1) Vocabulum „wassermeister“ idem quod „bergmeister“ valet et metallorum praefectus inde a lavandis auri aeribus in codicibus Silesicis ita appellabatur, quum nimirum auri lavatoribus praepositus erat.

2) Jus Löwenbergense hanc sententiam ita enuntiat: Grebit her abir ane loube des wassirmeisters, so mag do greb in allir hände man mit rechte.“

3) In codice Goldbergensi ita enunciatum est: Und wenn das ein mann queme ein uswendik war und mutete zu sichern und gebuwen in eines mannes erbe, das sal man lasen wissen denselben man, des das erbe ist und will derselbe sichern und buwen und sin erb entfan von unserm herren oder von seinem wassermeistir, den sal man item lihen als golt werks recht ist zu sichern und zu buwen unsern herren zu frueinen und im so här es nützlichst mag.“

4) Jus Goldbergense hanc quidem sententiam ita proponit: „Wo der pflec unde eide unde sense get, da sol nimant golt suchen *ane des gunst, des d'akir ist;* daz recht hat bercwerk nicht.“ Cfr. Steinberg l. c. p. 80.

5) Cfr. Commer, Exponitur etc. dissertatio p. 60.

6) Cfr. Commer l. c. p. 394.

ecclesiae jura agnoscebantur, composuerunt [1]). In quo pacto autem minus fundi possessoris jura, quae illis temporibus jam maxime minuta erant, sed potius ea domini feudi, quibus ecclesiae decanus, illa non assecutus, acquievit, a metallorum sociis agnoscebantur. Equidem enim puto, ecclesiae Havelbergensi, uti plurimis magnis coenobiis et ecclesiis primariis antiquitus jus metallorum ab imperatoribus concessum esse et ita illa transactione subfeudum quoddam constitutum esse. Vocabulum autem «herrlichkeit» hoc loco idem valere, quod «vogedie», equidem cum Commero consentio. Sed auctoritatem loci Spec. Sax. I, 54, quem Commerus ad rem suam probandam, nimirum illis Speculi temporibus fundi possessori soli jus metallorum in fundo suo inveniendorum fuisse, affert [2]), non probo. Commerus enim ita dicit: «Ein argumentum a contrario gibt der Sachsenspiegel I, 54 selber an die Hand. Wenn nämlich dem Emphyteuta das recht, Steinbrüche anzulegen nicht einmal zusteht, sondern dies dem eigenthümer vorbehalten bleibt, so wird dadurch die erklärung unserer Stelle um so mehr bestätigt, dass der bergbau dem eigenthümer vorbehalten bleibt.» In illo quidem Speculi Saxonici loco I, 54 haec verba sunt: «Nich ein *zinsmann* en muz noch steingruben noch leimgruben graben ane sines herren urloub, dez zinsmann her ist, noch holz howen, noch roden uf sime *zinsgute*, ez en sie sin *erbezinsgut*» [3]). Ex quo autem loco apparet, hic sermonem esse de duabus personis, de conductore et de emphyteuta. Nam Eikius dicit, conductori non licere sine domini permissione in fundo locato lapidicinas etc. instruere, nisi ille fundus ager ejus emphyteuticus sit. Quare hoc quidem Speculi loco, qui etiam non Eikio auctore, sed posteriore aetate, compositus esse videtur, hic nihil probari patet. — Aliam denique opinionem de Speculi Saxonici jure metallico etiam Böhlavius habet [4]). Proponit enim, Eikium quidem liberam metallorum exercitationem, quod institutum tunc jampridem polluerit, sed nullo modo jus regale metallorum comprobare. Immo etiam, ut eo potius jus metallorum regale, quod tunc in dies magis magisque ab imperatoribus postularetur, refelleret, Eikium liberi operis metallici instituta cum antiquis fundi possessoris juribus componere tentasse. Quare etiam Eikium illam antiqui juris sententiam, nemini sine domini voluntate in

---

1) In hac syngrapha, quam apud Riedel, Nov. cod. diplom. Brandenburg. I, 61 invenies, ita enuntiatum est: Weyll aber diss angefangen bergwerk auff des Kapitels ebenberurt grund und boden an alle mittel furgenohmen, hat das Kapitel davon öffentlich protestirt, das ihrer ***herrligkeit*** ohn schad sein solte, wolte auch damit ihre vorige protestation, so durch den dechant in gegenwart zweier herren geschehen, mit welcher ihnen novum opus nunziret, erholet haben .... Es solle dem Kapitel als den ***erbgrundherren*** an ihrer übrigkeit unschedelik sein, auch was der Kirchen gerechtigkeit als bergwerks art unschedelik sein. — 2) Cfr. Commer l. c. p. 394.

3) Cfr. Weiske, Der Sachsenspiegel. Leipzig 1863 p. 29. — 4) Böhlau, Schletter etc. l. c. p. 140 sq.

fundo alieno jus esse, sustinuisse. Sed domini jus non eatenus porrexisse, ut ei in fundo suo argentum fodere liceret, quum nimirum Germanorum possessio ad subterranea loca et ad res in profundo agri latas non extenderetur, quare etiam Eikium jus liberi operis metallici approbare potuisse. Speculum igitur Saxonicum secundum Böhlavium hoc metallorum jus, quod Silesicarum aurifodinarum jure simile sit, proponit [1]: Fundi possessori in fundo suo jus argenti fodiendi non est, nisi prius legibus metallicis satisfecerit. Aliis autem personis permissionem in fundo suo fodiendi dare et negare potest. Sin permissionem dederit, ei ab concessionariis, quod leges statuerint, nimirum «vogedie» et aliqua fodinae pars, debetur, sin autem concessionem negaverit, ipsi jus fodinae instituendae non est. — De qua quidem Bohlavii opinione hoc loco amplius disputare, jam non necesse esse puto.

H) ad § XV, p. 47.

Principum territorialium jura jampridem eo etiam quam maxime aucta erant, quod vertentibus annis marcarum societatum administrationem atque jurisdictionem sibi arrogaverant, ita ut etiam marcarum dominium denique ad se vindicarent. Quo factum est, ut a dominorum jurisperitis proponeretur, principibus non solum liberarum adhuc marcarum, sed etiam ibi versantium rerum, quum nempe nullius essent, occupandarum jus praeeminens esse. Atqui, veluti deinde principes venandi in marcarum regionibus jus ad se solos vindicabant, ita, quin nuper ibi reperta metalla prae omnibus ceteris personis sibi essent, non dubitabant. Verum enimvero in Rhenanis regionibus concepta documenta, ab Achenbachio loco suo composita [2], existunt, in quibus metallorum jus regale cum venandi jure regali confertur. Exempli enim gratia in documento, quod «Bergfreiheit von Kommern» nominatur, ita enunciatum est: «Item erkennen wir unserm gnedigen herren zu Arburg alle Gewalt des Berges zu, *den Wildfang in der erden und auf der erden* als einem gewaltigen herren und das so weit und fern seines gnaden herrlichkeit belangen thut» [3]. Atque huc accedit, ut in alio etiam documento, quod «Kaller Weisthum» vocatur et anno 1494 jam compositum est, enuntiatum sit, veluti venatori ferarum insequendarum jus esset, ita etiam dux Juliacensis metallicarum venarum persequendarum jus in alieni quoque domini territorio habere [4].

I) ad § XIX p. 54.

---

1) Böhlau, Schletter etc. l. c. p. 143.

2) Cfr. Achenbach, Das gemeine deutsche Bergrecht etc. p. 91 sq., ubi longam seriem horum documentorum invenies. — 3) Ibidem p. 92.

4) „Also wann ein berg ursbrecht um Kalle binnen einer bannmeilen, dat der bergmeister van wegen eines fürsten van Gülich mit dem geschworenen *folgen und nach ziehen mag als ein Jäger einem stuck wild in wat herren landt dat it sei* inde da ime lassen slain ind davon dem fürsten den zienden.“ Cfr. Achenbach l. c. p. 92.

Achenbachium atque Wachlerum reipublicae jus, majorum scilicet metallicorum territoriorum concedendorum, vel sibi reservandorum, quod enim jus cum natura et vi juris regalis jam cohaereat, contra Karstenium, Klostermannum et alios in opusculis citatis quam acerrime defendisse, satis notum est. Wachlerus, qui jus metallorum regale antiquius institutis liberi operis metallici esse putat, liberam metallorum exercitationem demum e principum concessione ortum esse proposuit [1]). Quum enim metalla primum in vastis principum episcoporum et coenobiorum territoriis exercita sint, ad opes territorii augendas privatis personis in dies magis magisque frequentius metalla exercenda concessa esse, ita ut postremo privati jus in metallis concedendis se habere putaverint. Quam autem Wachleri opinionem falsissimam esse, satis demonstravimus. Achenbachius autem nuper [2]) longa documentorum serie demonstravit, liberi operis metallici institutum legitimum impedimentum in majoribus metallorum territoriis concedendis vel reservandis nunquam fuisse. Nimirum, quum omnino liberi operis metallici et juris regalis instituta conjuncta essent, majori metallorum territorio privatis personis concedendo, nullum aliud, nisi jus regale exerceri. Sed litterarum documentorum, quae Achenbachius affert, ea solum ad rem ejus probandam magni momenti esse puto, quae inde a posterioribus aetatibus, in quibus principum postulata ad jura regalia in dies magis magisque crescebant, composita sunt. Syngraphis enim, prioribus saeculis compositis, solum jus feudale aut subfeudale quoddam concedendis majoribus metallorum territoriis tribuebatur. Atqui, quum hodie jus metallorum regale ubique paene abolitum sit, illae disputationes de vi ac natura juris regalis metallorum historici tantum momenti sunt.

G) ad § XXI p. 57.

Nova lex Bavarorum metallica, d. 20. Mart. 1869 lata, illae opinioni, metalla adhuc non occupata res nullius nec inseparabiles fundi partes esse, dedita est, quum in articulo primo illius legis ita enuntiatum sit: «Das *Eigenthumsrecht* an Grund und Boden erstreckt sich nicht auf die nachstehend bezeichneten Mineralien; deren Aufsuchung und Gewinnung ist unter Einhaltung der Vorschriften des gegenwärtigen Gesetzes einem Jeden gestattet.»

---

1) Cfr. Wachler, Der Bergbau des Regalinhabers l. c. p. 525 ssq.

2) Cfr. Achenbach, Ueber Distriktsverleihungen. Zeitschrift für Bergrecht Bd. 8. Bonn 1867 S. 387—402.

Corrigenda.

Ob absentiam auctoris a loco, ubi hoc opusculum typis exscribebatur, haecce menda corrigenda sunt:

Pag. 3 V. 14 leg. »in novis regni *Borussici* provinciis pro »Borussiis«.
» 12 » 26 » »*supra* nominatis« pro »super nominatis«.
» 13 » 14 » »introducta« pro »iutroducta«.
» 16 not. 7 » »l. 5 Cod. Theod. de procur. *gynaec.* 1, 32« pro »gymnas«.
» 17 V. 26 » »quaeritur, *num* usufructuarius« pro »an«.
» 17 » 27 » »illum *hoc* posse« pro »illum posse«.
» 17 » 30 » »*melioretur*« pro »melioraretur«.
» 17 » 33 » »fiant« pro fierent«.
» 18 » 1 » »nisi *quod*« pro »qnod«.
» 18 » 7 » »*fuerint*« pro »fuissent«.
» 18 » 8 » »*sit* factus« pro »esset factus«.
» 18 » 11 » »nisi *sit*« pro »nisi esset«.
» 18 » 12 » »non *possit*« pro »non posset«.
» 18 » 13 » »non *crescat*, neque igitur in fructu *sit*« pro »non cresceret neque igitur in fructu esset«.
» 18 » 14 » »in Asia *crescere quoque* marmor« pro »in Asia quoque crescere marmor«.
» 18 » 16 » »*renascantur*« pro »renascerentur«.
» 18 » 24 » »cujuscunque *alius* materiae« pro »alterius«.
» 18 » 27 » »*quum alia esset conditio marmorearum*« pro »alia autem erat causa earum marmorearum«.
» 18 » 29 » »in omnium conspectu *essent* et ubi lapis *non accresceret*« pro »erant et ubi lapis accrescere nolebat«.
» 19 » 10 » »*cum* praedii agri« pro »dum«.
» 19 » 11 » »*obtinerent*« pro »obtinebant«.
» 19 » 15 » »*imposita*« pro »impositae«.
» 21 » 4 » »*ubique*« pro »ubicunque«.
» 21 » 5 » »constituta *sit* pro »esset«.
» 21 » 9 » »*Si autem, Ulpianus* loco suo pergit», pro »Si autem, uti Ulpianus loco suo pergit.
» 21 » 10 » »*consenserit*« pro »consensisset«.
» 21 » 12 » »*intercludatur*« pro »intercluderetur«.
» 21 » 13 » »*denegetur*« pro »denegeretur«.
» 24 not. 3 V. 2 » »*In Theodosiano enim* et Justinianeo codice« pro »In Theodosiano et Justinianeo codice constitutio enim loquitur«.
» 24 » 3 » 6 » »*cum* Lugdunensis« pro »dum Lugdunensis«.

Pag.	24 not. 3 V. 7	leg.	»*loquatur*« pro »loquitur«.
»	24 » 3 » 14	»	»*Institutionen*« pro »Institutionem«.
»	24 » 4 » 16	»	»*Imppp. Valentinianus*« pro »Impp.p. Valentianus«.
»	25 V. 11	»	»*non poterant*« pro »non possent«.
»	25 » 11	»	»Metallarii *enim* harum terrarum aut capti *in barbarorum manus*«.
»	25 » 16	»	»*barbarorum*« pro »barbarum«.
»	27 » 3	»	»*Bohemicos*« pro »Bohomicos«.
»	27 » 3—4	»	»*Saxonicis*« pro »Saxonibus«.
»	29 » 33	»	»*quum* ibi quisque« pro »ubi enim«.
»	29 » 34	»	»defenderet« pro »defendebat«.
»	30 » 3	»	»*plane* cedere« pro »vigore cedere«.
»	30 » 25	»	»*artificiose*« pro »detorquendo«.
»	30 » 28	»	»ubique *esset*« pro »ubique fuisset«.
»	31 not. 3 V. 1	»	»cultorum »Vita Dagoberti«.
»	32 V. 25	»	»XI[i] post Christum *saeculi*« pro »XI[i] post Christum saeculum«.
»	33 » 8	»	»administrarent missi«.
»	41 not. 2 V. 2	»	»*defendunt*« pro »defendit«.
»	45 V. 17	»	»in contrarium« pro »in contrariam«.
»	47 » 9	»	»Etenim quum Carolus IV. ambas coronas« pro »Carolus enim IV., quum ambas coronas«.